







1651.

1. Pinnius, Hurvius: De iuribus maiestatis circa profana constitutis.
2. ^{abie}Conringius, Hermannus: De ratione status. 3 Scentt.
3. Hahn, Hurvius: De jure publico sacro, in genere
4. Hahn, Hurvius: Disputationum ad Codicem IV. ex l. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8 de summa trinitate, et fide catholica, et ut nemo de ea publice contendere audeat.
5. Hahn, Hurvius: De Codicis historia, l. Decisionibus, auctoritate, ordine.
6. Hahn, Hurvius: De obligationibus in genere, et in specie.
7. Hahn, Hurvius: Disputationum ad Codicem tertiam ex l. 1. de summa trinitate, et fide catholica, et ut nemo de ea publice contendere audeat.

8. Mehlbein, Johannes : De relictis et inprimis de
furtis
9. Mehlbein, Johannes : De numeribus et honoribus
10. Mehlbein, Johannes : De emphyteusi.
11. Mehlbein, Johannes : De praescriptionibus juris
in re quaerit possessione.
12. Mehlbein, Johannes : De jure primogeniturae
13. Wernerus, Georgius : De obligationum dissolutionibus,
illis praesertim, quae ipso jure contingunt
14. Wernerus, Georgius : De amissionem et devolutionem

DEPARTMENT
LIBRARY
UNIVERSITY OF CALIFORNIA

UNIVERSITY OF CALIFORNIA
LIBRARY
UNIVERSITY OF CALIFORNIA

UNIVERSITY OF CALIFORNIA
LIBRARY
UNIVERSITY OF CALIFORNIA



9489 31 Dupl. 1657, 2^c
DISSERTATIO
DE
RATIONE STATUS 4

Q V A M
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO ET CLARISSIMO

HERMANNO CONRINGIO

Philosopho & Medico, in incluta hac Julia Pro-
fessore longe celeberrimo, illustrissimi Ostfrisiæ
Comitis Consiliario intimo & Ar-
chiatro &c.

Dn. Præceptore ac Fautore meo multis nomi-
nibus perpetim observando

Publico propono

HENRICUS DOß

Eq. Ravensberg.

Ad diem XXVI. Mart.

IN MAIORI NOVI IVLEI AUDITORIO



HELMESTADI,

Typis HENNINGI MÜLLERI, Acad. Typ.

Anno clb l3 cli.

DISSERTATIO

DE

RATIONE STAVIS

INVI... TAVENTE CLEMENTIA

FRASSIAE

PRO... ET CLARISSIMO

FRANCO... GOMRINGIO

Philosopho & Medico, in auctoritate sua Juris Pro
fessore longis celebrissimo, Illustrissimi Consilii

Comitis Castellae intimi & ar-

chidus etc.

Doct. Praeceptoris ac in auctoritate sua multis nominis

illius persequi obtinendo

Publice respondit

HENRICUS DOP

Philosophus

Magister XXII. Martii

in Martini M. in auctoritate



FRANCO...




SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO

FRIDERICO GVILIELMO

Marchioni Brandenburgensi, S. R. I. Archi-
camerario & Electori, Magdeburgi, Borussia, Ju-
liaci, Clivia, Montium, Stetini, Pomerania, Cas-
subiorum, Vandalorum, & in Silesia Crosna, Car-
noviaque Duci, Burggravio Norinbergensi, Prin-
cipi Halberstadensi ac Mindensi, Comiti Marchia
& Ravensbergæ, Domino in Ravenstein,
Domino meo Clementis.

fimo.

SALVTEM & FELICITATEM.



Academicum hocce, qua-
lecunque etiam est, Sere-
nissime Princeps Domine
Clementissime, Serenita-
ti Tuæ consecratum ivi
tyrocinium, quod in Tui
obsequium & te & me
jam litit, & per Te à multorum hominum in-

):(2

juris

juris defendi cupit. Impudens forte, ne dicam
audax videri possem, quod tam crudo & im-
mature fetu tantum Principem compellere fu-
erim ausus. Verum istiusmodi audaciæ gra-
tiam me haud difficile impetraturum sperare fa-
cit causa non una DE RATIONE STATUS me
presentem instituisse dissertationem legenti
haud poterit esse obscurum, nec diffiteri e-
quidem habeo satis odiosam esse hanc RA-
TIONIS STATUS vocem, naturam vero
nec cuivis obviam. Etenim plerisque omni-
bus illa simulationum artifex, fraudis doli-
que magistra, & omnium denique malo-
rum officina audit. Hæc talia mihi apud
animum cogitandi, potuisset perfacile sini-
stra hæc & erronea vocis interpretatio ho-
sce meos, majores equidem voluntatis quam
facultatis, conatus, in ipsa, quod ajunt, her-
ba suppressere, ne unquam tam arduum &
odiosum pariter opus moliri sustinuissem,
nisi Serenitatis Tuae desideratum patroci-
nium hanc mihi exemisset anxietatem. Eo-
que hi mei conatus exire verentur ante, quam
per splendorem tanti Tui nominis omnem
cali-

caliginem exuti, & à variis hominum judiciis
liberati maxime immunes esse queant. Cæ-
terum præsens hacce materia an nobilis, &
Principe de quo nihil tam magnificum potest
prædicari (absint verba fucō oblita & ad gra-
tiam composita) quod summæ ejus virtutes
non superent, digna satis sit, immaturo & ju-
venili judicio definiri fas non est. Alioquin
apud civilis prudentiæ peritiores in confesso
est, RATIONEM STATVS publicum præ se
ferre subditorum commodum. Quod si verum,
ut equidem nullus dubito, non sane video, cu-
jus se patrociniō disertatio de RATIONE STA-
TVS concrederet rectius, quam illius qui ipsius
Sacri Romani Imperij statum non modo ma-
gna ex parte constituit summum; sed & in di-
es singulos hoc optima ratione mediatur
obnixè, ut consilia & actiones suas ad RATIO-
NEM STATVS h. e. egregium subditorum publi-
cum dirigat & per oculos, aures, pedes, ac ma-
nus (ita ipsemet Aristoteles Principum vocat
consiliarios & ministros) pie ac sedulo dirigi
faciat. Accedit & alia causa, eaque non in ul-
timis ponenda, quæ Serenitati Tuæ præsen-

tem thesum libellum sacrum esse voluit ,
quando videlicet T. S. subditus vivam, ex ea
ortum ducens terra, quæ Te partem patriæ
vel ideo submisissime, colit, admiratur, &
tantum non adorat, quod non tam Principis
quam paterno in eam propondeas affectu. E-
nimvero de reliquis tuis virtutibus, quas nul-
la etiam ingrata ætas obliterabit, nulla vel
improba posteritas filebit, nulla quamvis in-
vida oblivio delebit, dicere aggressuro, ve-
reor multum, ne mihi objiciatur, quod An-
talcidas cuidam Herculis encomium recitan-
ti respondisse fertur, *ecquis illum vituperat?*
Supervacaneum existimans ejus operose à ca-
pite arcessere laudes, quem uno ore certatim
prædicarent omnes, aut certe cum omnino
frustra esse, qui illum in cælum quasi extollere
niteretur, cujus laudibus dicendis plane sit im-
par aut etiam cujus laudes jam dudum conse-
quens loqueretur vox omnium. Liceat igitur
in præsentem tantummodo, quod uno ambitu
reliquas virtutes complectitur omnes, sine ul-
lis ambigibus proloqui, inusitata Tua rarissi-
mo

mo exemplo cum iustitia conjuncta comitas
non subditos tantum, verum & alios externos
populos in Tui cultum adeo trahit, ut Tibi
nemo non se merito obsequiosum & obara-
tum plane animo profiteatur lubenti, inque
dies solvendo esse allaboret. Equidem quoti-
escunque hæc recolo, recolo autem fere quo-
tidie, sub rustico quodam pudore suffundor,
nihil tale hæctenus à me esse profectum, quo
subditus ego pium, gratum & obsequentem
erga Principem quo non perfectior alter con-
teltarer animum, ejusque gratiæ me quam
humillime devoverem. Hinc omni tempo-
re omnino merarum partium esse putavi, ni-
si ingenium patriæ largiter peccare velim, ut
omnes inirem rationes, quo prius, quam ex
hac illustri Serenissimæ Guelphicæ familiæ Iu-
lia in ditionem S. T. patriam meam reditum,
atque ad exterarum postea terras abitum para-
rem, erga Serenis. Tuam Celsitudinem tan-
tillum hoc jam extaret obsequiosi animi mo-
numentum. Perexiguum quidem esse quod
offerro fateor, si aut ex Tua, aut ex sua spe.
ctetur

Etetur dignitate, aut si ex animo meo per-
magnum. Et spes etiam me fovet certa, tan-
tum & tam æquum Principem, nec à subdito
majus, nec à juvene laboratius aut concin-
nius quidquam esse expectaturum. Permit-
tes igitur Sereniss. Princeps nec non clemen-
tissime patieris, specimen hocce humillimæ
meæ, devotissimæ, & perpetuæ erga Te obedi-
entiæ perhibere testimonium. Finio jam sim-
plici & tenui voto. Principium Princeps Deus
Te in Germaniæ bonum rebus humanis per-
diu incolumen, florentem, vigentem, inter-
esse præstet. Hoc precor, hoc voveo, ex
Incluta Academia Julia, quæ est Helmstedti
Saxonum d. xxvi. Mart. anno ab O. R. M. DC. LI.

Sereniss. Potentiss. Celsitud. T.

*Subjectissimus & Obsequen-
tissimus servus*

HENRICVS DOS
Aut. & Resp.



BONO CVM DEO

DE

RATIONE STATVS

Conclusio. I.

DE Ratione status dissertationem ^{Rationis} habituri, ne in eâ explicandâ hal- ^{status.} lucinemur, ita rem commodissimè tractari posse arbitramur, si (1) nomen (2) originem & causam ejusdem (3) rem ipsam, quantum pro ingenij modulo fieri potest, deducamus.

Nemo fere hominum hodie reperitur, in cujus ore non identidem *rationem status* esse inaudias. Neque illi solum qui ad gubernacula Reip. sedent, seque nonnihil supra vulgus sapere videntur, sed & ipsum vulgus vocem *rationem status* sapiuscule allegat, hancque vocem proferendo immensum quantum sapere, immani publicarum rerum usu & status prudentiâ pollere sibi videtur, aut alijs saltim hoc persuadere conatur. Quid quæso frequentius jactatur, quam hoc vel illud ita per *rationem status* fieri? hoc *rationem status*, si alias Resp. conservari debeat, expostulare? Vnde vocabulum hoc rectissime vocat πολυβέλλητον Clar. Dn Præfens c.l. unic. de Civil. prud. qui jam hæret sub manibus operarum typographicarum. Verum rem ipsam si aliquanto penitius inspicias, vix ullum

Nullibus è cunctis hominum consultus Apollo

A

reperias

reperias, qui rectam instet viam, & veram ejus naturam cognitam habeat. Siquidem, ut non minus eleganter quam vere differit Scipio Amicitatus & Andreas Canonherius *discurs. in Tacit. lib. 12. disc. 1. ita mihi videtur (nisi mea me illud in scitia) cum totos dies hoc, vel illud jure regnandi fieri, vel omitteri dicimus, quid proprie ac vere hoc nomen, jus regnativum denotet; plerumque non satis intelligi.* Cum hoc convenit, quod Iohan. Henricus Boeclerus *Orationi de Ratione status sub ipso habuit & præfatur: Nomen rationis status in ore populi celebre, fama inter doctos ambigua, intelligentia in aularum & curiarum secretis recondita, nisi quod genus securi nihil secretum esse patitur.*

II.

Nomen.

Nomen ipsum jam spectantibus nobis occurrit (1) Etymologia sive vocis derivatio (2) Homonymia sive ambiguitas (3) Synonymia sive univocatio.

Pervulgatum enim est: res per signa disci; nostrum ergo erit, ut signa seu vocabula explicemus ne in verbis cæcutiamus, cum res ipsæ considerandæ veniunt. Hic ipsi recte cognitis, in reliquis progressus nobis erit faciliior. Admodum autem laboriosi in hisce esse nolumus, quod alias fieri solet, hæc namque Grammaticorum non disputatorum propria esse arbitramur.

III.

Derivatio.

Perspicuum autem est vel cæco, derivari nostrum vocabulum à ratione & statu, ut perinde esse putemus sive præ sive postponatur

alterutrum horum vocabulorum, & ratio status, five status ratio dicatur.

Coniunctim has voces apud priscos latinos scriptores uspiam inveniri non meminimus, seorsim tamen & *rationem* & *statum* non raro ipsæ Romanæ eloquentiæ parens usurpat, nec minus alij genuini & vere Romani scriptores. Est autem *rationis status* nomen ab Italis primum derivatum, adeo ut non nemo Italos *rationis status populares* appellet, qui sua sibi vernacula lingua, *Ragion di dominio, di signoria, di regno, d' imperio.* & omnium elegantissimè *rationamento distato* vocitarunt, quod apud Latinos jam alio atque alio nomine dicitur, ceu liquet ex Arnaldo Clapmario *lib. 4. de Arcanis rerum publ. c. 2.* Et quia Galli utpote curiosi omnium amuli secuti Italos, & rem eandem idiomate suo exprimere volentes, nominarunt *la raison d' Estat.* Hinc factum fuisse putamus, ut recentiores Politici magis Romane loquentes vocem peregrinam latinitate donarint. Quanquam apud Criticos & qui elegantia latini sermonis præ ceteris student, *ratio status* sine venia præfatione vix unquam reperiat. Vide sis *Orationem de ration. status* curante Bœclero habitam.

IV.

Utraque vox seorsim à varijs varie accipitur, & quidem vox rationis potissimum tripliciter.

Sic sumitur (1) pro ratione, qua homo ceteris animantibus longe præcellit, quaque ratiocinari & verum à falso dignoscere potest (2) dicitur Codex aliquis in quem accepta & expensa referuntur, ratio accepti & expensi auri sc. seu argenti. Hinc & Livio iste liber vocatur *codex*

A 2

rationis

rationis (3) usurpatur ratio pro causa quando vera rei alijus natura investigatur, & dicitur hoc vel illud ex hac ratione se ita habere, & sic etiam quod in syllogismo dicitur sequale sive consequentia rationis nomine venit. Huc etiam referendum videtur, quando Cic. ad Catonem *lib. 15. fam. ep. 4.* scribit se ad Cybiltra propter *rationem belli* esse commoratum, quæ procul dubio est, quam hodie Galli *La raison de guerre*, & Gallicantes Germani *Kriegsraison* appellant.

V.

Vox autem status sumitur vel stricte pro reipublicæ statu, vel vulgariter.

Posteriori modo sumitur non tantum porro conditione privatorum; sed & per illum præfens reip. fortuna conditio, & constitutio sæpius exprimitur, & *status* vocabulo omnia ea indigitantur sine quibus Reip. consistere nequit. Huc spectat etiam quando dicimus statum alium esse Ecclesiasticum, alium secularem, alium Oeconomicum. Posteriori vero modo, quando dicimus in hac vel illa ditione obtinere statum Monarchicum sive regium, in alia statum Aristocraticum, sive alium quem in alia Reip. forma sive herili sive paterna seu domestica, ut Arist. *lib. 3. polit. c. 4.* vocat. Sed de his significationibus seorsim consideratis sive vulgaribus sive Politicis, utpote ad institutum parum facientibus operosiores esse nolumus.

VI.

Nobis autem hæ voces conjunctim sumptæ explicandæ erunt. Et tunc ratio status multipliciter, & varijs varie sumitur.

Ita (1) pro arcano aliquo Reip. (2) prudentia aliqua

Ambigu-
itas

qua sed extraordinaria Remp. regundi. (3) pro utili aliquo sive cynofura consiliorum & actionum ad praesentem Reip. statum administrandum observanda, ut eo feliciter finem Reipubl. qui est civium salus consequamur (4) pro lege aliqua statui Reip. utili sive ea bona sit sive mala (5) denique Machiavellistarum *rationem status* capiunt pro utilitate & commodo solius dominantis, sive ille justam sive iniquam habeat dominij sui causam, nullo facto discrimine. Sed hi plerique oppido à nostra aberrant sententia.

VII.

Nobis igitur in tertia potissimum significatione accipitur. *Synonyma* autem ejus accurate rem exprimentia apud autores sunt rarissima.

Clapmarius quidem *d. l.* plurimus adducit nobis etiam jam tum memoratas *Concl. 3.* locutiones synonymicas, cum ex priscis Latinis scriptoribus, tum ex ipso Philosopho, quibus veram & genuinam vocabuli naturam exprimere conatur; sed utrum hæc talia (exceptis vocibus Italicis quæ ibi habentur) instituto nostro satis faveant, non dixerimus. Propius ad nos pertinere videtur usurpatio Flori, cum *lib. 1. c. 8. anacephaleosi de septem regibus*, eam tam varios ingenio fuisse scribit, ut *Reip. ratio & utilitas* postulabat, ubi per rationem Reip. laudatum Florum nihil aliud, quam conditionem & utilitatem ejus, quam hodie *la ragion di stato* appellant intellexisse volunt, doctissimi ejus commentatores Johannes Freinshemius & Nicolaus Blanckardus in suis ad Florum indicibus. Idque etiam satis elucet ex literis Ciceronis ad Plancum, quibus eum monet, his verbis: *nihil huc rejicias; neva in rebus iam subiris*

namque angustis à senatu consilium perendum putes. Ipse tibi sis
senatus, quocumque te ratio Reip. duces, sequare, vid. lib. 10. ad
fam. epist. 10. Scipio Amiratus dicit, differ. in Tacit. Jus re-
gnandi vocat, item regnativam prudentiam, quam tamen
Latinus dici posse putat Hippolitus à Lapide, jus domi-
nationis five arcanum Imperij in differ. suad. Rar. stat. in
proleg. sect. 1. An satis recte non disquirimus. Rectior forte
descriptio, quando Italos primum hoc vocabulo denotasse
salutem & necessitates Reip. honestamq; administracionis civilis
communicon, refert Boeclerus Orat. de Rar. stat. in regno litera-
rio, qua inserta est notis ad Vellei. Patere, pag. 91. Quidquid
vero hujus sit, his immorari diutius non ducimus opere
pretium.

IIIX.

Origo.

Porro origo Rationis status eadem esse
censetur cum ipsa Republica.

Inficiari non possumus vocem *Rationis status*, ab Ita-
lis primum excogitatum, ad Gallos translaturam, & post-
modum ab his quoque ad nos esse profectam, uti pluribus
Concl. preced. 3. Rem tamen ipsam multis retro seculis haud
ignoratum, sed summis istis Politicis Platoni puta &
Aristoteli notissimam & semper propositam fuisse, non
negaverimus, licet nec ipsa vox nec res ita expresse ac
hodie à recentioribus sit usurpata. Huc spectare puta-
mus quod duo sunt. Inquit Philosophus 7. *polit. 13. in pr. in*
quibus civitatis beatitudo consistit, in fine videlicet & earum
rerum qua ad finem ferunt inventione. Finis enim sine
medijs æque non attingitur, ut illa non recte disponun-
tur, nisi certus propositus sit finis ad quem consilia, tan-
quam ad scopum referantur, uti explicat Martinus Bor-
thaus in *annos. ad Polit. Arist. dict. loc. Fieri enim potest, per-*
git

git Philosophis, hæc (sc. finem & media) διαφωρεῖν ἀλλήλοις
καὶ συμφωρεῖν. i. e. inter se discrepare & convenire. Hoc modo
perfectitudinem obtineri, illo vero non. Illudque duplici modo
accidere, vel quando omnia quidem ad finem diriguntur, sed fi-
nis ipse prave est positus; vel quando finis quidem recte est consti-
tutus, sed media non recte & idonea applicantur. In utroque esse
errorem, & sic beatitudinem non obtineri. Hac ratiocinatione
nihil aliud nobis significare voluisse Aristot. arbitramur,
quam felicitatem civitatis potissimum consistere in ratio-
ne finem recte constituendi, & media ad finem recte ac-
commodandi. Hoc autem fieri recte non potest, nisi quate-
nus utilitas, quæ huic rationi modum præscribit, exposcit.
Idem natura ipsa uniuscujusque ordinis suadet. Et hoc
ratio status appellatur. Cum igitur sine fine nulla Resp. esse,
& sine medijs ejusdem finis obtineri non possit: hinc recte
dici putamus omnem Remp. certa aliqua *ratiōe status* or-
tam, corroboratam, adauctam, & conservatam: hac autem
destitutam, penitus collapsam esse. Et consequens *ratiō*
status cum ipsa Rep. orta est.

IX.

Causam itidem ejus impulsivam cum ipsa *Causa im-*
Rep. minimus cepisse certum est. *pulsiva.*

Per causam impulsivam nihil aliud hic intelligimus,
quam hominum malitiam & perversam post lapsum Pro-
toplastorum naturam; quæ uti privatis, sic & multo ma-
gis ijs, qui publico functi fuerunt gubernandi munere an-
sam præbuit, ut, quoquo modo possent, sibi totique adeo
Reip. melius prospicerent. Etenim prava illa mortalium
libido animique in malum inclinabiles illo rigore & dex-
teritate Rectores Remp. non amplius administrare patie-
bantur, ac si adhuc fuissent in statu illo summæ perfectio-
nis.

nis. Quippe cum omnia exacte & exactissimè optime, orta hominum malitia, non poterant gubernari, dolo aut calliditate utili, honesta tamen & laudabili admittenda, imò obliquo quodam & artificioso sexu, (ut verbis utamur Hippolithi à Lapide) gubernanda Resp. erat. Ceterum causam impulsivam quando cum ipsa Rep. originem traxisse asserimus, non hoc volumus, quòd ante eam homines non fuerint mali, quippe malitia illa hominum à lapsu quasi herba irrigua, (ut Comicus loquitur) succrevit uberrime, nec quicquam ibi vile erat nisi mores mali, eorum videlicet licebat metere messem maximam. Sed hoc demum intelligimus respectu Reip. seu quemadmodum quivis privatus malitiã alterius privati inducebatur, ut sibi caveret à fraude, sic etiam orta primum Rep. malitiam hominum statim causam dedisse Gubernatoribus sive directã sive obliquã ratione à lapsu sibi prospiciendi.

X

Definitio.

Jam ut ad rem ipsam accedamus definiri potest Ratio status quod sit reip. utilitas.

Huic nostræ definitioni geminum videtur omnino quod suppeditat nobis Scipio Ammiratus lib. 12. disc. 1. potestque instar definitionis esse, *status ratio* inquit, *sive ea Reip. sive ipsam representantes principes spectet, publici boni procurandi aut mali averrendi ratio est.* Quod alias vulgò dicitur, quot capita tot sententiæ, id optimo jure dicere possumus de ijs, qui *rationis status* definitionem tradere conati sunt. Quippe, prout quisque hanc vocem diversimode non solum sumit, sed in eadem nobiscum acceptione, alius aliam & diversam definitionem extruit, sed irritò plerumque conatu. Primas obrinet, qui vires suas in definitione tradenda tentavit, Ludovicus Septilius

lius & medicus & Politicus perspicacissimus, qui *rationem status* definit, quod sit *habitus intellectus practici*, quem *prudentiam* appellamus, cuius beneficio homines deliberant de *rationibus*, & modis *introducendi & conservandi eam dominii formam*, in qua sunt constituti. Verum non satisfacit Septalius hac in re; *ratio enim status* potius idipsum est utile, quod per prudentiam in Reip. formam sive bonam sive malam est introducendum, adeoque à vi vocis nativa longissime discedit, quando *rationem status* per prudentiam definit, quæ rectius forte finem ipsius prudentiæ constituere dici posset. Nec facere possumus cum Antonio Palazzo, qui citante Hippolytho à Lapide in *proleg. sect. 2. rationem status* describit, *regulam & normam, omnes res moderantem, & ad debitum finem perducentem*. Quæ definitio, licet plane contemnenda non sit, ita etiam in omnibus non laudanda, laxa enim nimis est, & opus habet Dello quopiam natatore, ut jam proverbio de re obscura dicto utamur. Clapmarius frustra etiam est cum latissima sua definitione, quam habet *lib. 4. de Arc. Rerump. c. 2.* ubi ita definit *ius dominationis* (ita enim exprimit *rationem status*) quod sit *supremum quoddam jus, sive privilegium, bono publico introductum, contra jus commune seu ordinarium, sed tamen à lege divina non alienum, atque jus veluti legitime tyrannidis*. Sive ut Alciatus definit, est *juris communis quedam relaxatio, sive correctio*. Hippolythus porro à Lapide, (ut autor se appellat) quia non parùm operæ sumfit in hac nostra materia pertractanda, putat *d. l. quod ratio status certus sit quidam Politicus respectus, ad quem tanquam ad normam, seu cyrosuram aliquam, omnia consilia, omnesq. actiones in Rep. diriguntur, ut eo felicitius ac expeditius summum finem, qui est salus & incrementum Reip. consequantur*. Verum ut ipse fatetur non nisi populari usus est descriptione. Wilhelmus porro Ferdinandus

B

ab Ef.

ab Efferen Dominus in Maubach & Arendal, ut scriptu-
rentium turbam augeter in suo (ut vocat) *Manuali Po-
litico lib. 1. punct. 1.* definit *rationem status prudentiam gu-
bernandi, augendi & conservandi Remp.* Sed ut in illo libro
nihil continetur, quod proprie ad hanc nostram mate-
riam pertinet, præter solam inscriptionem, ita etiam tam
lata est hæc definitio, ut omnem Civilem prudentiam
commode complecti possit. Tandem Gotfridus etiam
Fibigius Professor olim Jenensis ne plane a symbolus esset,
nobis suggerit, sibi que hinc non parum placet, definitio-
nem aliquam, sed à nostro & vero scopo alienam. Ita
enim ait in *Elect. Jur. publ. Roman. German. Generalib. Semid.
4. q. 3. n. 29.* *Nos existimamus, rectius forte per rationem sta-
tus intelligi ipsam Reip. sive Imperij præsentem conditionem, &
quidem non pacatam & tranquillam, sed turbulentam, violentas
seditionem, & periculorum plenam, quæ pro conservatione salu-
tis publica extraordinarium potestatis civilis exposcat usum &
exercitium* Addit si hoc intuitu *rationem status* quis dixerit,
vim necessitatis inevitabilem, suo quidem iudicio à vero non
aberrare. Plures jam ejusdem argumenti definitiones ad-
dere superfedemus breviter nos *rationem status utilitatem
reipublicæ* definivimus. Utile vero reip. est quod ad illam
sive instituendam sive conservandam facit. In quam sen-
tentiam loquitur & Aristot. 1. *Rhetor. 3.* his verbis. *Parent
omnes ei, quod utile est, utile autem est id, quod conservat Reip.
statum.* Huc quadrat quod ait Excellentiss. Dñi. Præses
*cit. loc. optime expresseris rationem status Latine per Reip. ra-
tionem, aut per commodum publicum civitatis, vel Reip. cum-
primis qualis ea in præsentem est. Quicquid enim usus Reip. ali-
cujus exigit, id ipsum est quod ratio status postulat: neque aliud
est ad rationem status dirigere consilia, quam pro scopo actuum
habere salutem illam publicam.* Ceterum objiceret nobis
forte

forte aliquis, in tyrannide non observari, & intendi publicam civium salutem, sed privatum potius quæri commodum. E. minus recte *rationem status* definiri per utilitatem Reip. Distinguendum putamus inter utilitatem Reip. & publicam civium salutem vel commodum. Suaviter equidem nos deciperemus, si tyrannum aut oligarchios aut plebem in *ὀχλοκρατία* publicum civium commodum intendere affirmarem, indubium tamen est, illos hoc sedulo agere ut Resp. sua seu tyrannis sit perpetua, & *rationem status* suæ tyrannidis in eo sitam esse arbitrantur, si ita actiones suas dirigant, ut semper dominantur. Sed de definitione forte plus satis

XI.

De Ratione status videbimus quotuplex sit, quid intendat, & quibus mediis id quod intendit, obtineat, & tandem Rempubl. à lapsu conservet.

Sic enim nobis offerent *divisio rationis status*, finis ejusdem i. e. salus Reip. & denique media quibus finis ille commode in subiecto obtineri & status incolumis conservari queat. Quæ omnia prout res patietur in subsequenti- bus persequemur.

XII.

Cum autem Resp. considerari possit vel generaliter vel specialiter, eique non minus in illo quam hoc considerandi modo conservationis utilitas proposita sit: hinc & ratio status quin alia possit dici generalis, specialis alia non ambigimus.

*Divisio
in gene-
ralem &
specia-
lem.*

In genere Reip. vocis acceptio est apud Arist. 3. Polit. 4. & 5. item 4. Polit. 2. atque tunc omnibus reip. formis est communis, prædicaturque tam de rectis quam aberrantibus. His enim omnibus etiam definitiones Reip. ab Arist. ad. II. propositæ, optimæ adaptari possunt. In specie vero sumitur Resp. prout significat vel solum statum Monarchicum, vel Aristocraticum, vel Politicum, vel alium quempiam. Hoc significatu Aristot. usurpatur 3. Polit. 5. Specialius vero adhuc consideratur Resp. pro statu solum populari, & hoc sensu obvium est apud Aristot. 3. Polit. 7. sic etiam Regnum Remp. appellat Augustus apud Tacit. lib. 3. *Annal.* Definitur autem d. lib. 3. c. 4. Resp. in genere, *civitatis ordo, cum in aliis magistratibus, tum in eo maxime, qui omnium est princeps.* Ut sic nimis jaçtante erret Bodin. lib. 1. de rep. c. 1. pr. quando se omnium primo Reip. definitionem effinxisse gloriatur. Sed videamus etiam quot sint numero respública, & quidem quæ ex ijs rectæ, quibus expositis aberrationes erunt perspicuæ. Cum autem Resp. & administratio publica idem valent, & administratio sit Principis: hinc sequitur Principatum esse penes vel unum vel paucos vel multos. Qui unus vel pauci vel multi, si ad commune bonum prælunt, has esse rectas Resp. constat. Contra quæ ad privatam vel unius vel paucorum vel multorum utilitatem has esse aberrationes. Aristot. 3. Polit. c. 5. *Et unius quidem Imperium cui bonum commune est propositum, regnum appellatur, paucorum vero plurimum tamen uno, Aristocratia seu Optimatum, quod vel optimi imperent, vel quia id quod civitati, & ejus participibus est optimum, spectent, cum autem multitudo ad commune bonum præest communi omnium rerump. nomine vocatur resp.* Harum aberrationes, tyrannis est regni, oligarchia vero Aristocratia, Democratia respública. Hæc philosophus loc. cit. His plane gemina tradit Tacitus

4. *Annal.*

4. *Annal. cunctas, inquit, nationes & urbes, populus, aut primores, aut singuli regunt.* Quod siue de solis rectis siue simul etiam de aberrantibus intelligas perinde esse putamus. Ex rectis enim de corruptis facile est iudicare. Et *rectum iudex est obliqui, uti docet Aristot. 1. de anim. text. 185.* Huic discursui addere solent quaestionem, *Ecquod inter homines optimum sit & perfectissimum imperij genus?* Verum non lubet extra carceres, quod ajunt vagari, videat qui volent de hoc Amplif. Forstner. in *not. Polit. ad Tacit. pag. 374.* & Thom. Morum in *fin. libelli de Vtopia* quem ita concludit. *Facile confiteor permulta esse in Vtopiensium Rep. quae in nostris civitatibus optarim verius qua sperarim.* Cum primis vero Aristotelem *l. 4. Politic. c. 11. & 12.* Interim adduci non possumus, ut illorum errori suffragemur, qui omnes Resp. imperfectas & minus bonas, quod videlicet in illis potissimum dominantium solorum posthabito communi quaeratur commodum, injustitiae & iniquitatis arguunt, & naturae divinisque legibus e diametro oppositas esse adstruunt. Ex quo enim tempore genus humanum in terrarum orbe belligerare cepit, ad hoc usque tempus indubitato receptum & permissum fuit dominicum aliquod in mancipium aut subditum imperium. Si ergo ejusmodi dominium privatum, & jure genitum, & divino & naturali permissum & constitutum est, non videmus quid impediatur integrum aliquem populum, aut magnam aliquam multitudinem subire servitutem, alicujus dominantis siue unius, siue paucorum, siue plurium. Jam de jure genitum, quin approbet servitutem nullum est dubium, per *S. 2. I. d. Jur. pers. l. 4. ff. d. 1. & 1.* Deinde etiam ex Veteri Testamento constat lege divina non modo non prohibitum fuisse submittere quem alterius se servituti, sed scimus insuper eo jure modum praescriptum eos in servitu-

rem assumendi, tractandi, certa item requisita & tempus manumittendi. *Deut. 15. vers. 12. 17 & 18.* Hugo Grot. *d. Jur. bel. & Pac. lib. 3. c. 14. §. 4.* Nov. Test. exstat epistola Pauli ad Philemonem scripta, in qua is causam agit Onesimi servi contra Philemonem dominum. In hac epistola tantum abest, ut dicat Paulus servitutem esse injustam, ut etiam ne quidem manumissionem servi suadeat, sed tantummodo iram quam dominus de servo fugitivo conceperat lenire conetur, rogetq; ut de jure suo dominus nonnihil remittat. Imo nusquam Deum Opt. Max. servitutes prohibuisse legimus. Denique nec ullum hodie vestigium reperire licebit, cur servitus sit contra naturam i. c. contra rectam rationem seu præceptum naturale. Quamvis enim *d. §. 2.* id affirmari videatur, tamen hoc tantum intelligendum de primæva naturæ conditione, secundum quam cum omnes essent recti & sine peccato, iniquum fuisset, alterum alteri subjici: nunc autem supposito peccato non contra, sed secundum naturam est, vid. Leonh. Lessium *d. 1. & 1. lib. 2. c. 4. dub. 9. n. 56.* Adde rationes quas pro continuanda servitute adducit A. Gislenius Busbeq. *ep. 3. p. 160.* Et multo magis hoc obtinebit, quando voluntario motu alterius servitutem adit. vid. Grot. *d. tract. lib. 2. c. 5. n. 27.* Eodem modo juri nec divino nec naturali contrariari putamus, si integer populus servituti subjiciatur, vel justa de causa, vel si animo sit tam servili, ut non aliud quam dominicum imperium ferre possit, ideoque sponte sua servituti se subjiciat. Ita cum Mithridates Ariarathem Regem Cappadociæ per Gordium insidijs occiderat, populus à Romanis devictus libertate est donatus. Sed Cappadoces munus libertatis abnuentes, negabant vivere gentem sine Rege posse. Atque ita Rex illis à Senatu Ariobazanes constituebatur.

Justinus

Justinus Trogi Pompei Epitomator *lib. 38.* Inclinationis hujus servilis etiam sunt homines agrestes in Livonia, mancipiorum enim ibi videas provinciam duriorum, quam olim apud Romanos. Siquidem enim pensum laboris diurnum non exsolvant, aut nobiles suos alio modo offendant, vapulant miserrimis modis. Horum rusticorum duræ conditionis Poloniae Rex Stephanus Anno 1582. cum misereretur, vocari eos jussit, significarique, se illos à verberibus istis liberaturum, & multam, si deliquissent, mitissimam esse impositurum. Verum rustici illi iniquissimo hoc ferentes animo, antiquas se consuetudines mutatas nolle, omniaque dura perpeti malle responderunt, novitatem quam introduci aliquam. Refert hanc historiolum ex Laurentio Mullero scriptore quodam historiae Septentrionalis Befold. *lib. 1. Polit. c. 5. §. 5.* Unde Philosophus *1. Polit. 3.* decidit, ingenii quæ natura ad id inclinant, servire & utile & natura justum esse. Per consequens herile imperium non omne erit injustum. Quod autem illæ resp. dum in ijs dominantium spectatur sola utilitas sint minus bonæ & depravatæ, adeoque non mereantur exacte civilis societatis cognomina, id ambabus largimur manibus. Neque etiam omnibus in eis degentibus ex animi sententia bene esse id lubentes fatemur, inde vero colligi nequit. E. ista imperia aut istæ aberrantes resp. sunt injustæ. Quin obedientiam omni magistratui etiam iniquo præstandam Deus præcepit. Nec jus naturæ prohibuisse ex dictis jam patet, cum servilia ingenia & bello superatos cedere victoribus in servitutem utpote jure gentium introductam lex naturæ permittat. Imo & adversa fortuna aliquos adigere potest ut malint servitutem subire quam alia mala diutius pati, uti latius differis Philosoph. *3. Polit. 4.* In hisce jam casibus non commune sed unius
vel

vel paucorum quæritur maxime commodum, inde vero non sequitur, illas imperandi formas esse injustas. Vid. Guil. Barclai *lib. 2. advers. monarchomach.* Sed contra interdum etiam status aliquis esse potest injustus, quamvis communis habeatur subditorum ratio. In mundo est exemplum. Angli quidem præ se ferunt magnam libertatem, simulantque se quarerere commune civium commodum, non tamen exinde efficietur status eorum justus & bonus. Per summam enim injuriam & nefandam optimi Regis cædem sibi hujuscemodi statum acquisivere. Cum igitur ex his pateat rerump. formas differre, *rationem status* quoque variare necessum est, uti hoc infra disquiremus. Neque enim instituti ratio patietur hoc loci id ipsum latius investigare. Vid. hac de re egregie differentem Ampliff. Dn. Præfidem *dict. tract.* cui adde ejusdem *Exercit. de majest. Civil. auctoriz. circa sacr. sb. 7. & 8.* Nobis autem in hac *concl. ratio status* in genere sumitur, non quatenus reip. ita abstracte considerata prospicit, ejusque utilitatem promovet, sed quatenus omni vel pluribus Reip. formis seu bonæ sint seu aberrantes hoc modo consulit, & quæ earum conservacionem concernunt, observat.

XIII.

*Generalis
que con-
servat.*

De generali ergo prius. Quæ uniuscujusque rerump. publicarum status vel plurium conservacionem intendit, seu agit ut Resp. omnimode facta tecta à periculo conservetur corruptionis.

Quum *concl. preced. rationem status* in generalem & specialem simus dispartiti, ordo tractationis exposcere videtur, ut primo dispiciamus in genere quomodo *ratio status*

status omnium vel plurium Rerump. formis vel rectis vel pravis inserviat, earumque incolumitatem sibi propositam habeat, ut à varijs morborum & corruptionum procellis quibus undequaque jaçantur, inconcussæ & immobiles in pristino vigore persistant. *Non minoris enim est negotij dicente Aristotele 4. Polit. 1. instaurare Remp. quam ab initio condere.* Longe autem majoris subfellij res est Remp. Dei Opt. Max. permissione prolapsam, (abhujus enim omni potenti voluntate omnium Rerump. constitutio, conservatio, mutatio & denique translatio dependet, quicquid etiam Thrasymachi Platonici, Euphemi Thucydidei & Machiavelli discipuli garriant) corrigere & ad pristinum non solum decus revocare, sed ita legibus & institutis laudabilibus munire, ne unquam labi possit. Lapsus autem ille Reip. mille modis contingere potest, siquidem causarum Remp. evertentium magna est copia, è diverso conservantium unica tantum præ reliquis princeps est Virtus, neque enim sine virtute Rebusp. felicitas contingere potest, quemadmodum diligentissime inculcat Philosophus 7. Polit. 9. ut quasi generalem eam causam omnibus formis competentem constituuisse videatur. Ratio autem quod frequentiores in rep. sint causæ corrumpentes, quam conservantes, haud contemnenda peti potest ex lib. 2. de morb. c. s. ubi ita inquit Philosoph. *præterea peccare multis modis possumus, malum enim est infiniti, ut Pythagorici conjectabant, bonū autem finiti, recte agere uno vero modo tantum licet, atq. idcirco illud facile, hoc difficile est, facile siquidem est à scopo aberrare, sicut ipsum attingere difficile.*

XIV.

Impendent autem illi Reip. lapsus sive corruptiones, vel à vi interna vel à vi externa.

C

Hoc

Hoc duplex omnium rerump. interitus genus genera-
 lissimum suppeditat nobis Philosophus noster. *s. Polit. 7.* ubi
subfn. ait, omnes autem Resp. dissolvuntur, alias quidem per se, a-
lias vero extrinsecus. Et vero sicuti corpus humanum non
 modo intrinsece varijs morborum symptomatis laborat, sed
 & extrinsece sæpenumero labefactatur, sic & corpus politi-
 cum, non modo lue corruptionis internæ inficitur, sed etiam
 identidem externa vi convellitur. Hoc simili eandem rem
 jam tum ante declaraverat Plato *s. de Republ. Nonne,* inquit,
quemadmodum debile & valetudinariū corpus vel minima muta-
tionē extrinsecus injecta in morbos incidit, sæpe etiam nulla ex-
trinsecus re nocente ipsum intra se discedit, ita & civitas. Philo-
 sophos hosce duos præstantissimos, sequuti sunt duo histo-
 rici ut antiquissimi ita & gravissimi, Polybius nimirum &
 Livius, dum hic *lib. 30. c. 44.* vocem Annibalis ita exprimit:
Nulla magna civitas diu quiescere potest, si foris hostem non habet,
domi invenit, ut prævalida corpora ubi externis causis tuta vi-
dentur, sed suis ipsa viribus onerantur. Ilte videlicet, Polybi-
 us *lib. 2.* ait: *intestinos hostes difficilius vitari, quam externos.*
 Est autem causa mutationis vel corruptionis interna, quan-
 do ab ijs Resp. qui in illa vivunt, scil. ab imperantibus vel
 parentibus mutatur. Externam cum Aristotele dicimus
 quando illi qui extra Remp. sunt constituti, eidem mutatio-
 nem inferunt. De utroque mutationis genere in subsequen-
 tibus incidenter, & quidem quatenus ijs mendendum vide-
 bitur, pluribus agemus.

XV.

*Vel à vi
 interna.*

A vi interna conservatur, si vitentur se-
 ditiones & factiones.

Quemadmodum secundum effatum medicorum re-
 media

media adhiberi nequeunt, nisi præcognitis morbis, sic & nos rerump. morbos, earumque causas inquirere, ijs. que demum inquisitis salutari medio, quomodo mederi quis, aut ab ijs quo pacto præservare possit disquirere conabimur. Jam ex quo Aristoteles communes omnium motuum causas sat erudite est persecutus, subjungit quædam *s. Polit. 4. in fin.* de modo, quo Remp. invadant primum cause evertentes interna. Facit autem hunc modum duplicem. *Aliis*, inquit, *invadit Remp. vi, dolo alius.* His quidem Artifæus modum tertium addendum putat *lib. 2. cap. 3. doct. Polit.* scil. spontaneam, tum imperantium tum parentium, status mutationem in Reipubl. formam aliam. Ceterum de spontanea ista temperatione non opus est multa profari, cum rarissima omnino sit indulgentia regentium, ut Arist. *4. Politic. 11.* observatum est, adeo ut unus tantummodo ab omni ævo fuerit repertus Princeps, qui regio imperio deposito, mediam Remp. instituit. Quis hic fuerit, non consentiunt Politici, vult Artifæus Aristot. digitum intendisse ad Cadmum, Victorius ad Clisthenem Atheniensem, Giphanius & Heinsius putant fuisse Spartanorum Regem Theopompum & forsitan recte. Hic namque posthabita omni ambitione, Ephoros, ad quos à Rege esset provocatio, primus induxit. Ratio illius forte est, quod nonnulli vel horulam in imperio vivere jucundum esse duxerint. Et enim nec olim defuerunt, qui tanta imperandi dulcedine ducantur, ut sibi inde valde placerent, si modo Consules semel appellarentur. Testatur hoc Erasmus *lib. 4. Apoph.* exemplo Caninij Revili & aliorum, qui unico tantum die Consul fuit. Is cum nostra ascendisset, pariter & honorem iniiit consulatus & pejeravit, in quem fertur illud Ciceronis: *hoc consecutus, Revilius ut quæreretur, quibus*

Consulibus Consul fuerit. Solebat enim annorum numerus Consulium nominibus designari. Reuilus Consul quidem fuit, annum autem nec ullum habuit. Refertur adhuc aliud Ciceronis in illum: *vigilantem habuimus Consulem, qui toto consularu suo somnum non vidit.* Interim regij moderaminis exemplum nos habere putamus apud Aelianum Polyhyst. lib. 6. *variar. hist.* ubi legitur Gellonem Imorem superatis Poenis omnem Siciliae provinciam in potestatem suam redigisse, & postea inermem prodiisse publicum, civibusque dixisse suis, se illis jam omne civitatis regimen committere. Id quod tamen accipere recusarunt, non ignorantes, eum potiorum habere popularem libertatem quam propriam utilitatem. Patrum nostrum memoria Andreas Auria, cujus pauci similes, cum patriam Genuam ad pacem composuisset, principatum, qui ipsi offerebatur, maluit, ut ipse loquebatur, patriæ dono dedicare, Paulus Jovius lib. 34. Alter eversionis internæ modus est *Vis*, quando nimirum armis, seditionibus & vi apertâ remp. seditiosi aggrediuntur & opprimunt, aut ex una in aliam formam commutant: quam formam vel vi vel dolo deinde retinere & tueri solent. Sic quod ad vim attinet, cernere licet plerumque Tyrannides hoc modo mutari in Democratas vel oligarchias, pulso tyranno eove casu vid. Arist. 5. *Polis. 4. in fin.* Sic Cæsar vi adoriebatur Imperium Romanum, postea dolum adhibeat, dum Rex salutatus blanditijs retinere conabatur, Cæsar vocari, quam tam odioso Romanis nomine compellari malebat, quod tamen illi haud optime cessit, quando casus Romanæ Reip. dum viratum reliquit. Et quid multa? Quoties (ut sexcenta alia omitteremus) Romanam remp. seditiones mutarint, aut extremo periculo exposuerint, prolixum catalogum videre licet

2
cet apud Contzen *6. Polit. 7.* Produunt id seditiones quon-
dam Graechanæ, Apulcianæ. Imo utiansa ansam in ca-
tenis, sic seditionem seditio sequi solet. Cum plebs Ro-
mana in montem sacram secessisset, Tribunitiam potesta-
tem patribus vi extorsit. Hoc jus cum dividendæ anno-
næ occasionem Coriolano dedisset: alia seditio secuta
Coriolanum in exilium egit. Considera bella servilia,
socialia, civilia, videbis seditiones sæpe suis velut cineri-
bus testas, rursus motas, majori longo incendio exfiliisse.
Videatur Fridericus à Marselaer *de leg. lib. 2. dissert. 25.*
Hoc igitur administratori Reip. omnino propositum esse
debet, ut à seditionibus rep. integram & salvam præ-
stet, ac stirpes earum omnes, quoad ejus fieri poterit, ab
imis radicibus evellat. Nihil enim tam conducibile &
necessarium est reip. restoribus, quam ut concordia &
tranquillitas conservetur, & pax & quies se mutuis exci-
pianit osculis. Hinc M. Agrippa dicere solebat, mul-
tum se huic sententiæ debere, *concordia res parva crescunt,
discordia res maxima dilabuntur.* Quam sententiam fœ-
deratos etiam Belgas, ita adamare cernimus, ut moneræ
eam insculpendam curent, siquidem in concordia *ratio sta-*
rus eorum vertitur, eamque nec alijs bellum inferendo rum-
pi permittant, aut cum alijs congregiando, in quo alter-
um ipsorum incrementum, uti hoc testatur scriptum
quod Duci de Rohan tribuitur & Trut. stat. Europ. appellatur
disc. 6. Helverij, habent verba, *diuturna pace locupletati sunt,
Belga continua belligeratione florent. Ratio status Helveticorum*
pax est. Hollandi contra hanc senex regulam, armis semper ut
sunt induti. Alioquin etiamsi Belgicas confœderatas pro-
vincias in unum colligas corpus, si concordiam demseris,
manipulus hominum erit, si ad potentiam Hispanicam
respiciamus. Vnde Famianus Strada *de Bell. Belgic. decad. 1.*

lib. 1. in initio statim miratur, paucis Belgarum provinciis
eam esse confidentiam, ac vires tantas, quibus potentissimo
cum Rege, sexaginta jam annos, terra marique ex æquo
decertarint. Ex hac seditionis & concordia oppositio-
ne istius maximum incommodum satis superque patefcit.
Interim mirari subit, dari nonnullos, qui sedationes ceu
reip. utiles, imo necessarias commendent. Ex censu horum
hominum cum ratione insanientium jam ante secula ali-
quot fuit Crassus apud Ciceron. 2. *de Orat.* Atque ut
plurima alia mala, ita etiam easdem probat versipellis
ille reip. Florentina Scriba *lib. 1. disc. in Liv. cap. 4.* sed re-
futatus eo nomine ab anonymo quodam, quem Simo-
nem Simonium alij, alij Innocentium Gentilem vocant
lib. 3. comm. de Polizia theoremar. 31. Fundamentum Machia-
velli est, quod non solum Romæ propter seditiones inter
plebem & senatum ortas, bonæ sint natæ leges, sed quod
& occasionem dederint, ut ea Resp. libera simul & potens
sit effecta. Huc etiam quodammodo collimare videtur
coetera doctissimus Tholozanus *lib. 23. c. 9. n. 3.* quando
conservatam dicit aliquamdiu Remp. Romanam dissidenti-
bus Tribunis cum Patricijs, & Lacedæmoniorum dissiden-
tibus Ephoris cum Regibus. Sed hi multum sane fallun-
tur, non causam pro causa adferendo. Nec enim sequitur:
propter seditiones in rep. Romana natæ sunt bonæ leges,
E. seditiones Reip. sunt utiles. Perinde enim esset, ac si
ex veteri illo verbo Macrobij 3. *saturnal. leges bonæ ex
malis moribus procreantur,* concludere velles; vitia & cor-
rupti mores sunt laudandi, quia bonæ ex his proveniunt
leges. Profecto si nihil aliud est seditio, quam ardens
fax, quæ, ea durante, securitas esse potest in rep. ? *Miserum
est cum civibus tanquam cum hostibus magistratum vivere,* in-
quit Nicolaus, Vernulaus 4. *inst. Polit. tit. 3. q. 4.* De cautio-
nibus

nibus remp. ab ejusmodi seditionibus conservantibus in-
fra pluribus agemus. Interim cum heic de ijs agamus qua-
tenus causa sint belli civilis, si accidat quod averti aut præ-
caveri nequeant, & sic bellum civile forte oriatur, quæri pos-
set, quomodo vir bonus se debeat gerere, quiescere, an in partes abi-
re? Quietem suadere videtur, quod sævitiâ quædam & feritas
annexa his bellis, à qua merito abhorret vir bonus. *Quide-
nim, inquit Cæsar, viro bono & quieto, & bono civi magis conve-
nit quam abesse à civilibus controversiis?* Cic. lib. 10. ad Attic. ep.
9. Hinc Q. Hortensium gloriari solitum, quod nunquam
civili bello interfuisset, laudat Cic lib. 11. ad fam. epist. 16.
Contra in partes abeundum alij volunt. Vbi enim dis-
sidium cur vir bonus sejungere se velit à suis? Solonem
ejusmodi legem tulisse ferunt, si ob discordiam dissensionemque
seditio atque discessio populi in duas partes fieret, & ob eam cau-
sam irritatis animis utrinque arma caperentur, pugnareturque;
tum qui in eo tempore, in eoque casu civilis discordia, non alteru-
tri parti se adjunxerit, sed solitarius separatusque à communi ma-
lo civitatis secesserit, is domo, patria, fortunisq; omnibus caretis,
exul exoriturusque esto Agell. 2. Noct. Attic. 12. ubi hujus legis
hanc putat esse rationem. *Si enim boni homines, qui in prin-
cipio coercenda seditionis impares fuerint, populumque percitum
& amentem non deterruerint, ad alterutram partem divisi
se adjunxerint, tum eveniet, ut cum socij partis seorsum utri-
usque fuerint, eoque partes ab iis, ut majoris autoritatis viris,
temperari ac regi ceperint, concordia per eos potissimum resti-
tui conciliarique possit, dum & suos, apud quos sumi, regunt atq;
mitificant & adversarios servatos magis cupiunt quam perditos.*
Hæc Agellius. Lipsius lib. 6. Civil. doct. c. 6. n. 8. distingit.
Aut enim civis iste clarus est & illustris, & tunc potius in
partes ipsi abeundum: ne scil. videatur rebus turbatis de-
ferere clavum, ad quem federit rebus tranquillis. Ideoque
cum-

eum quemcunque fors tulerit casum subire potius debere cum ijs, qui dicuntur esse boni, quam ut videatur à bonis dissentire, ita tamen ut appareat, se bellum suscipere in- vitum & extrema nolle. Aut minus clarus, eumque ci- vile bellum non debere attingere, aut se turbido mari dare, qui tranquillum non tentari, sed potius oppidum aliquod vacuum eligere, dum hæc decernantur. Magis autem fortassis probanda est sententia Iacobi Zevecotij in *Observ. polit. ad C. Sueton. Jul. Cesare. 25.* aliter distinguen- tis; aut quis extra fortunæ aliam in alieno discrimine tu- tus esse potest post victoriam, & utique non est prudentiæ tunc cum alijs periclitari velle; sin secus, quiescere non expedit. Revera tamen hac prudentia non nisi privatim alicui consulitur non reipublicæ, cui tamen operam suam subtrahere nemini bonorum civium fas est. Ultimo se- quitur *dolus*, egregius sane & regnum ad tyrannidem tra- ducendi, & pluriim imperium ad unius revocandi, & de- nique simpliciter omnem statum convellendi modus. Primo enim is vere & ex voto Rex est, qui virtute ceteris longe antecellit. *Arist. lib. 3. cap. 11. & 12.* Imo Rex καὶ ἐξοχόν, etiamsi sit hereditarius, demum is est, qui imperat volentibus & ultro parentibus, ut clarum est ex *d. l. Aristot.* Si jam do- lose & fraudulentè subditis persuadeantur mali Princi- pis mores, ipsique sic cantemtus & contumelia paretur, vix est ut illi regius titulus maneat integer. *Nam, in- quit Giphanius ad Aristot. 5. Politic. 10. in fin. ad Regni ever- sionem non esse necessarium semper, ut homo tollatur; sed simul atque amorem & observantiam suorum, (per scelera scilicet & injurias) Rex amiserit, jam Regem esse desisse.* Exemplo est quinquennium Neronis, nec operosum foret plura adde- re nisi prolixitas prohiberet. Secundo modo accidit quando populus dolo & suavis promissis, aut alia facta
spe-

spe delinitus imperium uni, vel paucis sponte, vel per convenientiam tradit, quod deinceps vi & armis constabilitum ægerrime, aut nullo modo recuperare potest. Sic Cæsar Augustus, *ubi militem donis; populum annona, cunctos dulcedine otij pellexit, insurgere paulatim, munia senatus, magistratuum, legum, in se trahere, nullo adversante*, ut Tacitus loquitur *lib. 1. Annal.* postea uti Poëta canit *Omnia Cæsar erat.* Nemo enim tam libertatis cupidus erat, qui vellet; nemo tanta potentia pollebat, qui posset, nemo denique præter ipsum tanta eminebat autoritate, qui auderet priorem Reip. statum restituere, & in priscam libertatem vindicare. Nulli amplius supererant Pompeij, ceciderant Cassij perierant Bruti, exaruerant generosi Romanæ nobilitatis spiritus, ut qui antea semper cupiditate dominandi flagrabant, ipsis tum temporis nullæ priscæ libertatis reliquiæ superabant. Plura non addimus. Denique si prætextu injustitiæ aut malæ administrationis à factioso quodam uno vel pluribus ordo quidam civitatis in diversas abruptatur partes, his non possunt non involvi remp. administrantes. Horum deinde motus totam secum trahunt civitatem. Adi Aristot. *s. Polit. 4.* Harum discordiarum deinde exitus non solet esse alius, quam aut victoris dominatus & regnum, aut universalis interitus testante Cicer. *in Orat. de Harusp. Resp.*

XVI.

Id quod ratio status agere jubet tum imperantes tum parentes.

Imperare & parare, inquit Aristot. 1. Polit. 3. non ex rebus necessariis tantum, sed & utilibus est. Rationem latius ibidem deducit, quæ in compendium redacta esse videtur, quod anarchiâ sit contra naturam, regimen

D

autem

*Contra
quam ex
dictami-
ne ratio-
nis status*

autem seu imperare & parere, naturæ consentaneum. Quicquid autem naturale hoc idem & utile & necessarium, natura enim nihil operatur frustra. Consequens ergo est regimen esse & utile & necessarium. Imo pergit Aristot. *quædam statim ut oriuntur sunt distincta, alia ad imperandum, alia ad parendum. Et multa sunt genera & imperantium & parentium, tamen semper melius est imperium meliorum parentium, ut hominis quam belluæ.* Nec indistincte tamen hominum imperium melius & laudabilius dici meretur, nisi uterque & imperans & parens se talem præstet. Ideoque ut hoc rite observetur, & imperantes & parentes virtutibus instructos esse debere ostendit Philosoph. *lib. 1. Polit. c. ult.* Sed non eodem modo. Parentes enim habent se ut ministri, nutumque imperantis observant, & ut hi imperant, sic illi parent. Virtus igitur in imperante requiritur moralis perfecta, in parente quidem etiam, sed solum quantum suo operi & muneri sufficit, vid. Arist. *cit. loc.* *Et ut maxime virtutes omnes eorum sunt communes, tamen prudentia imprimis imperantis est propria, in eo autem qui paret non tam prudentia, quam bona duntaxat opinio necessaria* Philosoph. 3. *Pol. 3.* Hac videlicet bene existimabit de magistratu seu Principe ejusque legibus & decretis, ut ea opinione ductus magistratui non repugnet, sed modeste & alacriter ejus jussa capeffat. Vid. Philosoph. *d. 1.* ubi parentem tibiarum opifici, imperantem vero tibicini eleganter comparat. Nimirum ut, quemadmodum huic ille, sic & qui paret ei, qui imperat se accommodet, & quasi monentem sequatur. Si igitur perpetua, stabilis, firma, debet esse resp. uterque munere suo condigne fungatur necesse est, i. e. ille virtuose & prudenter agat, nempe ea quæ interitum reip. accelerant, non morit tantum, sed & vitet aut tollat; ea vero quæ ad salutem, diuturnitatem & incolumi-

colunitatem reip. pertinent in eandem introducat, & tam legibus, quam moribus institutis complectatur: hic quieti, & obedientiæ se dedat & assuefiat. Hæc *ratio status* imperat.

XVII.

Obser-
vanda
Obtinetur autem observatis cautionibus
ad hoc singulariter facientibus.

Prioribus libri 5. capitibus 7. Philosophus enumerat multas reip. corrumpendi causas, easque vel generales vel speciales. Postea ejusdem lib. c. 8. & 9. paucas subjungit cautiones contra istas corruptiones facientes itidem generales, quibus paucissimas inseruit & subnexuit in sequent. capp. speciales. Has cautiones alij malunt vocare arcana, eaq; definit Vernulæus 1. inst. Polit. tit. 17. q. 5. quod sint *occulta quadam & intimationes, sive consilia ad publicum bonum procurandum, tranquillitatemq; & præsentem Reip. formam conservandam*, quæ eadem fere est eum definitione Clapm. de arcan. rerump. lib. 1. c. 5. ubi cap. preced. putarat ab Aristot. 5. Polit. 8. ea vocari *σφίσματα πολιτείων*, quod interpretes reddiderunt machinamenta rerump., figmenta, fallacias. Ciceronem vocare arcana reip. Tacit. lib. 1. Annal. imperij arcana, imo alios quos cumulavit Clapmarius aliter. Verum hæc longius à nostra abesse sententia putamus. Et ne de definitionibus quicquam amplius dicamus, primo vis vocis refragatur; non enim istæ cautiones quæ ad conservationem Reip. adhibentur, seu quæ *ratio status* exigit, sunt (quo sensu quidem illi arripiunt hanc vocem) arcana omnes, aut occulta, aut intima, cum multa per leges publice prodantur, imo leges & statuta ipsa sint ejusmodi media, quæ utique vulgum ut illi putant, latere non possunt. Deinde non equidem

inficiamur, dari arcana & præsertim consilia in quibus ver-
satur salus Reip. ideoque cum Cicerone *arcana Reip.* aut
arcana Imperij cum Tacito dici suo modo posse. Verum
nunquam nobis persuaderi patimur, ea ab Aristotele di-
cta esse σοφίσματα τῶν πολιτείων, aut fallacias & machina-
menta rerump. Invenimus quidem fieri mentionem *cit. loc.*
τῶν σοφισμάτων τῶν πολιτείων verum tantum abest, ut per illa
ejusmodi arcana quæ ad publicum procurandum, tran-
quillitatemque & præsentem Reip. formam conservandam
faciant intelligat, ut potius contrarium ex ipso textu
pateat. Dicit enim Aristot. *dict. loc.* consultum esse non
credere πῶς σοφίσματα, pergit *quæ vero dicamus τῶν πολι-
τείων σοφίσματα supra explicavi*, sed ubi? sc. *lib. 4. c.*
13. ubi de occultis artibus, quibus divites adversus pau-
peres, & pauperes adversus divites utuntur, (quas ibi
προφάσεις, prætextus, simulationes, speciem & σοφίσματα,
callida inventa, machinamenta vocat) egerat, sed non ali-
ter nisi quo pacto his legislatorem occurrere oporteat. Eo-
dem etiam modo & in *cit. c. 8.* de ijs agit, ratiocinans, *viden-
dum ne vel minimum contra leges fiat, occulte enim obrepere
detrimentum, & mentem decipi sophisticâ illaratione*, qua pu-
fillum saltim e. g. contra leges forte factum prætendi,
non vero totum expuillis compositum considerari velit.
Hisce igitur Sophismatis non esse credendum. Quapro-
pter putamus & à nostra sententia, imo etiam ab ipsius
Clapmarij sensu significationem vocabuli τῶν σοφισμάτων
in qua *d. c. 8.* accipitur, plane esse alienam. Et nisi nostra nos
fallit opinio, arbitramur vocabulum *cautionis* huc omni-
um optime quadrate, ad exprimendum remedium, quod
ratio status contra everisionem reip. paratum habeat.
Hanc vocem suppeditat Aristot. *d. 1. δειμάρησε τὸ μικρὸν*,
inquit, *φυλάττειν* i. e. exiguum maxime cavendum est, sc.
ne

ne contra leges fiat, qua de re jam egerat. Postea sub-
jungit contra principium istud & sophisina sc. quod pu-
sillum id non sit curandum, opponendam esse *μίαν Φουλακην*
unam cautionem, nimirum non pusillum, sed totum, ex
pusillis quod componi possit, esse perpendendum, deinde
istis sophismatis seu commentis fidem non habendam.
Ita dicta loca interpretantur Borrihaus & Giphani. *ibid.*
Adstipulatur nobis & ipse Cicero quando in eadem acce-
ptione hoc vocabulum fere usurpat, dum ait: *Quoniam*
ut bona natura appetimus, sic à malis declinamus. quæ declinatio
si cum ratione sit cautio appellatur, eaque intelligitur in solo es-
se sapiente 4. Tusc. quest. Et omnino omnium horum vitiorum
& incommodorum una cautio est, atque una provisio, ut ne
nimis cito diligere incipiamus, neve non dignos. Idem in Lelio
sive de Amicit.

XIIX.

Quæ respiciunt cum alia, tum præcipue *Respectu*
vel leges, vel magistratus, vel cives reliquos. *legum*

Diximus superius *concl. 10.* necessarium simul & utile
esse reip. bene & imperare & parere. Alias enim socie-
tas illa persistere non potest: quippe quæ *perinet ad amici-*
riam: ut notum ex *4. Polit. 11.* Ideoque non sufficit
bene imperare nisi & bene pareatur, cum simul & in cive
requiratur, bene parere ut norit & velit & possit, uti pa-
tet ex *3. Polit. c. 3.* Verum ut omnes cives statim sint viri
boni, imò cives boni vix datur. Legibus igitur opus,
in quibus sita salus Reip. Aristot. 1. Rhet. 4. n. 22. & legum
custode magistratu. Idem *2. Polit. 12.* Hinc liquet, & civibus
in rep. opus esse & legibus & magistratu, eorumque o-
mnem ratione certis cautionibus.

Cautio. 1. In legibus igitur cautio est (1) ut sint convenientes statui.

Lycophron orator apud Aristot. 3. *Polit. 6.* vocat legem *juris inter socios sponsonem*. Ejus definitionem etiam expressisse videtur Papinianns ICTus quando *l. 1. ff. d. ll.* definit legem *reip. sponsonem communem*. Ceterum quam varie à varijs accipiatur, in proprio tamen significato consideretur, significat id, quo majestas sive Princeps Reip. civibus declarat, quid sit faciendum vel omittendum, officio suo ne desint. In hoc significato definitur vulgo *lex, regula humanarum actionum à majestate præscripta*. Objectum legis esse putamus actiones moresq; hominum, qui jam ita sunt prolapsi, ut sine legibus commode vivi haud possint. Nam cum pauci admodum reperiantur, qui virtutis amore recta faciant, poena à legibus præscriptæ metu, ad id sunt compellendi. Qui enim dicente Machiavello *lib. 1. dis. in Liv. c. 3.* *sponse sua recte agunt, iis legibus opus non est, sed ubi desinunt sponte sua officium facere, hic legibus opus est ut coguntur*. Et hæc est *scopus & finis legum unicus, ut cives omnes in officio suo contineantur, & ad virtutem vi quadam civili compellantur*, uti præclare inculcat Plato *12. d. ll.* Cum igitur dicente Aristot. *4. Polit. 14.* *tres sint partes omnium rerump. de quibus quid cuiq; conducat bono legum scriptori videntum, & quibus bene affectis Resp. bene affecta sit.* sc. magistratus, judicia & præcipe senatus, qui teneatur consultare de bello, de pace, de foederibus, de societatibus, de legibus & poenis. Hinc videmus officium legislatoris in hoc præcipue verti, ut diligentissime dispiciat, non solum ut leges scribat, & instituta condant, sed potissimum id attendat, ut leges sint convenientes unicuique statui. Alia enim

enim sunt leges, quæ conveniunt regno, aliæ Aristocra-
tiæ, aliæ denique Democratia. Accidere autem inter-
dum potest, ut leges videantur convenire e. g. Democra-
tiji & Oligarchiji, cum potius eas evertant & corrumpant
Videndum igitur ante omnia ut leges illæ præsentem Reip.
formam conservent, præsertim autem ut communem mül-
titudinis utilitatem quoad licet respiciant. Huc pertinet
quando Aristot. 3. Polit. 8. inquit, *si queratur legumlatori,*
qui rectissimas leges ferre velit, utrum leges scribenda sint ad
meliores tantum, an ad plurimum utilitatem, cum, se multitu-
dinem non ut singulos sed ut universos consideres, plerumque
accidas, eam paucis divitibus esse ditiores, & paucis virtuosis
etiam meliorem? Fortasse sumendum respondit Philosophus
quod rectum, sed quid rectum? Rectum est fortasse ex totius
civitatis utilitate & civium communi uti Aristot. d. l. est an-
notatum E. sequitur etiam leges esse ferendas non ad hu-
jus vel illius ordinis, sed ad commune Reip. commodum
& conservationem. Vnde Reipubl. præfutos moner
Cicer. 1. Off. ut Platonis præceptum teneant, quod apud
ipsum 7. de Rep. habetur, nempe, ut totum corpus Reip. cu-
rent, ne dum partem aliquam tuerentur, reliquas deserant. Ele-
ganter Aristot. 1. Rhet. 1. n 16. legislatoris judicium est, non
de una aliqua re, neque de presentibus, sed & de futuris
& universis. Interim tamen ubique spectandum, leges
istæ, ut sint utiles & necessaria. Inutiles enim & minus
necessaria. (ceu multas etiam in corpore juris Romani est
invenire) si non obsunt, minimum tamen confundunt.
Quæ hic oritur an multitudo legum sit perniciosa Reip. & Politici
ita statuunt pleriq; omnes, quia legum multitudo fenestram
aperit innumeris litibus & controversiis. Hic opus esse
videtur primo, ut de legibus proprie dictis & seposito jure
Romano id accipiamus, in quo non tot leges, quam ex
legibus

legibus deductæ decisiones & definitiones inveniuntur ;
deinde aliud est dicere de nimis multis & innumeris legi-
bus , aliud autem de multis . Perniciem accelerant Reip. &
innumerae leges & nullæ , imo & nimis pauca . Cum au-
tem multi & innumeri pene dentur casus , ijque vel mi-
nima circumstantia variantur : *leges autem positas , omnia ,
quæ possunt , definire oporteat , ita ut quam paucissima in arbi-
trio eorum qui judicant , relinquuntur .* Arist. *cit. loc. n. 13.* Pa-
lam est , multas leges in rep. etsi non omni , illa tamen ubi
ingens litium & controversiarum copia occurrit , requiri ,
quo pauca judici , secundum jus sibi ipsi forte fictum , de-
cidenti permittatur potestas , Vid. Arist. *d. l. n. 19.*

XXX.

Cautio. 2. (2) Ut omnes leges referantur ad medio-
critatem & excessum fugiant.

Præclarum hanc rerum. conservandarum cautio-
nem tractat Philosoph. *s. Polit. c. 9.* eaque posita est in
mediocritate seu moderatione legum . Nam cum nulla
resp. nisi in æquabili tenore consistere possit , hinc legibus
omnino opus , quæ si forma Reip. nimis intendatur , exces-
sum in tempore corrigant . Nulla e. g. Oligarchia sine di-
vitiibus & multitudine consistere aut permanere potest ; si
jam bonorum urgeatur exæquatio , si multitudo omnia ad
suam potestatem trahere , bona æqualiter divisa , omnes &
generè , & facultatibus & libertate pares haberi velit : aut
contra si pauci isti divites aut nobiles ad se omnia rapiant ,
& multitudinem deleant , ut omnes itidem sint pares ge-
nere , opibus , divitijs , utroque casu continuo Oligarchia
esse desinit . Ratio patet ex superioribus , quia sine duo-
bus istis ordinibus hæc reip. forma consistere non potest .
Omnes igitur in hac reip. forma , ut & omnibus alijs fe-
rendæ

rendæ leges ad id dirigendæ sunt, ut quantum fieri potest, medium servetur, id est, ut discrimen ordinum, seu divitum & multitudinis, seu virtuosorum & multitudinis, seu unius & multitudinis, conservetur. *Alias non remanebit eadem Respubl. sed corrumpetur. Et sic manifestum est, quod illi qui procedunt excedendo legibus ad hoc ducentibus transmutent & corrumpant Rempubl.* D. Thomas in *Explanat. Polit. Arist. lib. 5. lect. 7.*

XXI.

Denique (3) ut leges serventur factæ te- Cautio. 3
ctæ, adeo ut ne in minima quidem parte
violentur.

In Rep. bene temperata, ne vel minima pars legis aut portiuncula ullius veterum instituti impune violari permittatur, cavendum esse docet Arist. 5. *Polit. 8.* Quanquam enim hæc exigui appareant esse momenti, tamen sub illis latet intertrimentum maximum, quando homines sibi ita à sophistica illa captatione imponi patiuntur. *Nam in parvis cum peccatur facile ad majora, vel ignari vel invito transeunt, qui ea negligunt,* uti hoc pulcherrime explicavit doctissimus Heinsius in *paraphras. ad d. Arist.* Illustratur hoc duplici argumenro, uno à simili ducto ex sumptibus rei familiaris, de quo adiri possunt Comment. Giphani. Schreb. & Piccart, deinde à captioso & sophistico imponendi genere de quo *sup. Concl. 17.* Enim vero quantum τὸ μικρόν hoc neglectum Reipubl. inferat damnum, meminit Philosophus non uno in loco, & cum primis 5. *Polit. 3.* ubi inter seditionum causas generales sine motu Remp. convellentem refert. *Eod. lib. 6. 7.* numerat inter causas, propter quas in optimatum statu seditiones existunt, & quidem frequentissimè. Videmus enim quam lubrica &

E

peri-

periculosa sit hujus exigui dissolutio, propterea quod de-
 erimentum non facile nisi à prudentioribus propter exi-
 guitatem (ut barbaro vocabulo utamur) animadvertatur.
 Occulte namque obrepit primum, sensim crefcit, & tandem
 invalescit, imo omnem Reip. summam convertit. Res non
 caret exemplis, de Thuriorum alterum, de Ambracensium
 rep. ipse Philosophus adducit alterum *cit. loc.* quibus obiter
 non possumus non addere tertium de quo Piccart, ad Arist.
1. Polit. c. 3. non sine ratione forte conqueritur. *Nos hodie, in-*
quit, nostro damno sentimus, quantum nocuerit, nam animadver-
sum τὸ μὴ πὸν, cum ad Pontificam tyrannidem respicimus. Non
animadvertebant majores nostri, cum nunc adiculam, nunc agel-
lum, nunc pagū, nunc aliud quippiam cœnobijs & religioni dona-
bant, quo res tandem esset casura, non intelligebant, quo pertine-
ret, quod Pontifices Romani mox attollerent hujus regis Imperi-
um, alterius deprimerent, sicq; sensim omnium vires enervarent,
nos miseri sentimus, & hac mala facta gementes plangimus. Hoc
 etiam exemplum citat Arnisæus *lib. 2. doct. Polit. cap. 5.* ex
 Sturmio *serm. 2. de Bell. contra Turc.* Manifestum itaque est
 τὸ μὴ πὸν istud non tantum in reliquis semel iterumque ad-
 missum ea corrumpere, sed & multo magis in legibus trans-
 grediendis non punitum, eas tollere, ex *in rationi status* ad-
 versari, e. vatum Reip. transformare. Vnde cum Marga-
 retha Parmensis Belgij Gubernatrix 3. April. anno 1566. su-
 per Inquisitionis à patre ipsius 16. ante annos instituto pro-
 cessu, utpote nimis severo, abrogando cum senatoribus
 deliberaret, eorumque super hac re sententiam exquire-
 ret; rogatis sententiis senatorum multi hæcenus recte
 censuere; ex Imperatorijs edictis nihil mutandum; & *leges*
antequam ferantur, expendendas; ubi latæ fuerint, tolerandas.
Nec alia re magis labefactæ aristatum civitatis, quam crebra le-
gum mutatione. Strad. *de Bell. Belgic. decad. 1. lib. 5.*

Jam de magistratibus, iisque vel constituendis vel constitutis.

respectu
magistra-
tuum,

Multis quidem praefectis opus est in societate civili, inquit Arist. 4. Polit. 15. Sed non omnes statim sunt magistratus. Qui ergo sunt magistratus? Arist. d. l. ipse fatetur non adeo facile esse eum definire. Bodinus quidem solito definiendi pruritu rem aggressus in Method. Hist. pag. 195. longeque se Aristotele superiorem ferens ait, magistratus est, qui imperij publici partem habet; sed quam feliciter vid. apud Piccart. ad Arist. cit. loc. Tandem Philosoph. ibid simpliciter (ut ipse fatetur) definit, quod hi maxime dicendi magistratus, quibus jam est de quibusdam & deliberandi & judicandi, & imperandi, hocque maxime imperare namq. est magistratus magis proprium. Et quidem per hanc notam discernitur magistratus ab omnibus alijs praefectis & procuratoribus, qui nullum imperandi jus habent, ut sunt sacerdotes, praecones, legati, qui omni imperandi jure plane sunt destituti. Item praetores, aediles apud Romanos: qui quidem interdum vocantur magistratus, sed improprio plane & vulgari significato, cum vere & proprie non sint magistratus, quorum nullum plane est imperium, uti modo dictum. Non opus est ut probemus necessitatem magistratus in rep. quippe custos est legum, & lex loquens Cic. 3. de leg. Quem si ministrum rationis status appellaverimus, forte non erraverimus. Partemque essentialem eum reip. constituere jam supra ex Arist. 4. Polit. 14. ostendimus conclusio 19.

XXIII.

In illis, cautio est (1) ut constituantur idonei.

Constitu-
endorum
Cautio 1.

E 2

Lupo,

Lupo, ut est in proverbio, ovem committat, qui minus idoneo committat eam partem reip. in qua bene administranda sita sit bonam partem salus ejusdem Magistratus ergo cautio est, ut committatur utilibus & idoneis. Sed qui tales? Putamus illos, in quibus deprehenduntur ea requisita, quæ Philosophus recenset *s. Polit. 9. in pr. sc.* (1) Studium & amor erga præsentem reip. statum. (2) prompta facultas committenda munera obeundi, & (3) virtus & justitia pro cujusque formæ conditione. Hic autem notandum magistratus alios esse majores, qui sc. sunt cum potestate aliqua & imperio: Minores vero qui sine imperio & potestate sunt, ac improprie tales dicuntur, de quibus *concl. præced.* Loquimur igitur hic de magistratibus majoribus & proprie dictis, & in illis solum jam dictæ, & præsertim prima & ultima qualitates requiruntur, in alijs etiam secunda. Jam primo majores isti magistratus, si non sint amici reip. ei valde nocere, imo statum plane evertere possent. Id quod nec difficile illis foret, utpote magistratu & potentia adjutus. Hinc Massilienses, olim neminem ad magistratus admisisse, nisi qui liberos haberet, ut his quasi pignoribus magis eorum fides & amor in remp. adstringeretur, refert ex Strobone Giphano *ad Arist. d. l.* Imo ille ipse amor erga statum ipsis magistratum accipientibus conducit; facit enim ut omnes labores & molestiæ, quas reip. gratia sustinere tenentur, ipsis accidant leviores, quemadmodum hoc addit Theoph. Golius *ibid.* ipsumque aut amice aut clementer imperantem, eo tutiorem præstat, modo vere imitetur Agasiclem Lacedæmoniorum Regem qui cuiquam sciscitanti, quo pacto quis nullo stipatus satellitio tuto imperare posset, respondit: *si sic imperes suis, quemadmodum pater imperat liberis*, refert Plutarchus *in Apophth.* *Quid enim aliud pene est regnum quam magna familia?*

milia? Quid rex nisi plurimorum pater? ut adstruit Erasmus
in libell. de inst. Princip. Christ. seu optimum magistr. simul. De-
inde nihil manifestius, quam magistratum non nisi ei esse
deferendum, qui & scientia & usu ei par sit. Navim, in
qua veheris, ejusve gubernaculum si committas, pulchro,
docto, nobili, sed artis nauticæ imperito, insanire vide-
beris & naufragium faciens sero temeritatem deplorabis.
Sic ergo in rebus alijs, multo magis in reip. gubernatione
magistratum magnum nocebit ineptis & ignorantibus
concedere. Magnum igitur erravit errorem Paulus IV.
Pontifex, qui cum consanguineum suum fungi in Gallijs
legatione vellet, isque se ipsum hujusmodi muneri impa-
rem agnosceret: *acquiesce*, respondit, *ecquis enim te & me ex-
cepto, ineptitudinem tuam novit?* Marselaer. de leg. lib. 1. dis. 5.
Quasi vero magistratus virum non arguat, secundum pro-
verbium Plutarchia ut uniuscujusq; qui eVectus fuerit. in-
dolem, industriam, prudentiam non manifestet. *An ergo
magistratus eruditione instructus esse debet?* Vid. Melch. Jun.
2. quæst. Poliz. 18. ubi hoc in utramque partem disputat. Nec
indistincte hoc asserere nec negare licet. Ab omnibus e-
nim magistratibus excludi non debent, qui licet literis
neque Latinis, neque Græcis, neq; scholastica scientia sint
imbuti, sensu tamen communi solido ita polleant, ut vi-
vacitate ingenij, & maturitate judicij rem perspicere &
munus peragere possint. Ultimo Arist. 1. Poliz. 2. fere in fin.
ait, *injustitia armis instructa est perniciosissima. Improbi enim
quo plus possunt, eo plus nocent*, ut pulchre Plato lib. 1. de Rep.
Neque cogitandū dignitates hominum vicia minuere, aut tollere:
*attollunt non raro, ubi propensione occasione servit, aut certe quæ
non producunt, producunt scelera dignitates.* Marselaer d. l. Per
occasionem indulgentiam erumpit scelestus eorum animus,
ut nocere reip. & possint & velint. Posse enim eos nocere

certum est, qui maximi magistratus potentia sunt instructi. Velle autem ipsis suppeditat improbitas. Qui ergo improbis committi possunt magistratus? ceu, *qui magis custodiri debeant, quam alios custodire* Arist. 6. *Polit. c. ult.* Eo ipso igitur dum idoneum eum esse vult, amorem in praesentem reip. statum, facultatem gubernandi, virtutem & iustitiam in constituendo, omnino *ratio status* exposcit? Sed qualem? diximus pro cuiusque formae conditione i. e. prout huic illive reip. sit congruens. Nam quando non idem in omnibus Reip. formis jus est, uti *per totum fere lib. 3. Pol.* demonstrat Arist. & ut Borhaus in Annot. ad Arist. *lib. 5. Pol. cap. 9.* loquitur. *furis diversaratio ex sine cujuscunq. reip. constituitur.* Hinc pro diversitate rerump. iustitiam quoque variare certum esse ducimus.

XXIV.

Cantio 2.

(2) Ut magistratus conferatur non statim magni.

Minuntur jura quoties gliscit potestas, inquit Caesar pro Silano sententiam dicens apud Tacit. 3. *Annal.* Certe hoc convenire putamus etiam in illos, quibus nullis fere rebus agendis adhibitis magni statim conferuntur magistratus. Cum enim quod Philosophi nobis suggerit 5. *Polit. 8.* *non sit cujusvis hominis secundam ferre fortunam*; efferuntur enim, & loco illius, quod *ministri* debeant esse, & *legum custodes*, secundum Arist. 3. *Polit. 12.* legibus imperare student, iisque abrogatis tyrannice agunt, ibique demum summum jus est, ubi summa potestas, uti hoc in C. Julio Caesare manifestissimum. Pausanias Lacedaemonius, homo magis virtutibus praestantissimus, ob quas etiam classis Lacedaemoniorum praefectus est. Is reportata à Persis victoria insolecere, plurima miscere, majora concupiscere cepit. Delphis tripodem aureum posuit, cui inscripto Epigrammate se victore

victore barbaros deletos gloriatus est. Postea pari felicitate cum Byzartio expugnato complures Persarum nobiles cepisset, & in his regi propinquos, res novas molitus, Xerxi illos remisit, ab eoque affinitatem cum filia contrahendam petiit, pollicitus, se adjuvante & Spartam & cetera sub ipsius potestatem reductum iri. Verum suspectus magnam belli gloriam turpi morte maculavit, ut de eo ex Thucydide refert Cornel. Nep. *in vit. pauf.* Sic qui minister erat, aut magistratus, ferme factus fuisset monarcha, aut alij conceditam sibi Spartam nefarie tradidisset, uti facile liqueat, quantum unius tam subita *impe-*
xi seu extraordinaria eminentia reip. Possit creare incommodum. Vnde Marchio Vasti recte reprehendit Neapolitanos, quod prius colonelli esse velint quam milites, prius generales quam colonelli, uti scribit Scipio Amiratus *saep. de tract. lib. 3. disc. 3.* Laudatur contra eo nomine Rufus apud Tacit. *2. Annal. quod diu manipularis, dein centurio, tandem castris praefectus fuerit.* Sic probata demum virtute, tandem summi magistratus dignis secure conferuntur. Alias nimis intempestive potentiam uni conferendo ejus vim vel Monarcha sibi formidolosam reddet. Quamvis enim homines virtutibus alias sint instructissimi, tamen eorum ea est natura, id ingenium, ut cupiditatibus suis & ambitioni modum statuere vix unquam sciant. Sic Themistocles se ad imperandum profitebatur natum, Plutarch. *in Themist.* Caesar imperij seu regnandi gratia jus violandum admittebat Cic. *lib. 3. offic.* Sueton. *in Caesar cap. 30.* Dein occasio improbitatem eorum reddit insolentiosem. Sic Michael Palaeologus adeptus publicae pecuniae tractandae facultatem, eam in milites & plebem divisit. Quo pacto postquam se omnibus gratiosum reddiderat, sublato vero herede imperium Constantinopolitanum ad se traxit, uti
testa-

testatur Niceph. Greg. lib. 3. *hist.* Henricus II. Rex Anglorum
subjectæ sibi Hilberniæ præfexit Hugonem quendam, uti
vocatur, qua re is clarus, subinde ipsi regi obedientiam
denegavit, & denegasset amplius, ni à famulo iubente,
aut saltim sciente rege esset sublatus, ut ex Guilielmo
Neubrigensi *de Rebus Anglicis lib. 3.* notat Forstnerus ad
Tacit. 2. Annal. Ergone, si forse ob simulatam ad tempus vir-
tutem, quis subito sit euectus, sed dein improbus deprehendatur,
consultum est eum statim amovere? Non absolute dixerim-
us. Difficile est profecto turbidos istos & rerum nova-
rum appetentes, quando beneficijs, liberalitate atque co-
mitate alios sui similes primum sibi devinxerunt, coerce-
re. Accidere sepe numero potest, ut remedia sint pericu-
losiora ipso morbo. Sic M. Antonio Triumviro hosti à
Senatu Romano iudicato, certissimum remedium puta-
tum est, ut Octavius novo cum exercitu obviam mitteretur.
Factum est, sed quo cum eventu? Hoc consilium Antonius
alio consilio elusit. Cognito enim periculo, Octavius in
suas partes pertraxit, ijq; ambo conjunctis viribus & armis
remp. oppresserunt. Dein interfecto demum Antonio
Octavius solus imperium est adeptus. Quidam volunt or-
dinario procedendi modo illos de medio esse tollendos.
Verum & id periculosum. Sic cum Dux Albanus superiori
seculo Philippum Lamoralium Egmontium & Philippum
Momorantium Hornanum, sive invidia & odio, sive verâ
& justâ causâ motus in publico pègmate obruncari, eo-
rumque capita pilis ferreis præfixa duas horas spectari
facere, fecit simul ut Belgæ, in quorum Egmontius præ-
sertim erat amoribus, ultionem minitari nullo delatorum
respectu sint ausi, ac Fæderatorum partes tunc primum
stabilitas esse affirmarent, brevique Belgium omne tumul-
tibus contra quam Albanus existimaret, involutum iri
præ-

2
præfagirent Famiam. *Strad. de Bell. Belg. de cad. i. lib. 7.* Quam
Albani Ducis imprudentiam Appollinem etiam arguisse
fingit Trajan. *Boccal. Relat. ex Parnas. cens. 2. Relat. 44.* Et
certe si aliud remedium non exstet, consultius omnino vi-
detur, clam potius improbos ejusmodi Imperij captatores
carnificis istum excipere, quam cum tantâ ingrata nimium
populo affectivæ eorum tragœdiæ pompâ. Consultius
vero omnino est imitari Athenienses, qui ostracismo ute-
bantur, quo potentiores civium, ut supplicio carerent, in
exilium mittebantur, aut potius extorres patria erant, ut
pœnam invenirent, aut legationis quadam specie alio mitte-
re, ut potius legati quam relegati videantur. Sic etiam apud
Romanos M. Cato *per honestissimam calamitatem* (ut Cicer.
ait) in Cyprum est relegatus. Item à Tiberio Germanicus in
Orientem, à Nerone Otho in Lusithaniam amotus est. Et
Caligula cum equitem quendam, sibi minus gratum ab-
esse vellet, honoris eum specie ad Ptolomæum Regem in
Mauritaniam abire voluit cum codicillis, quorum exem-
plum erat; *ei quem isthuc nisi neque boni quicquam, neque ma-
lifeceris.* Suet. in Calig. c. 55. *Ex quibus honoratis exiliis id boni
in remp. redundat, ut sepositi illi fortunam minantem industriâ
sibi reconciliare studeant, virtutisq. specimina, si non proposita,
certe metu amplectantur.* Bœcler. ad Tacit. histor. c. 10. Ve-
rum nec illud semper obtinetur ut resipiscant; assueti enim
semel honoribus, perpetuis machinationibus eos recu-
perare tentant. Ideoque tutius esse suadet Arist. 5. *Polit. 8.*
non simul universos istos magistratus adimere, sed sensim
i.e. pedetentim, *impedimenta nimia potentia instrumentis obji-
cere, fundamenta quibus illa nititur convellere, & velut sub-
ira actus alimentis igne ambitiosum extinguere,* ait Forstner. d. 1.
Omnium autem tutissimum & rationii status convenientis-
simum putamus, principio ita remp. temperare (addimus
F & remp.

& resp. ita temperatam servare) hac medicina ut non sit opus, quæ de re vid. Philosoph. 3. Polit. 9. aut operam maxime dare, ut legibus ita regantur, ne quis vel ab amicis vel à divitijs longe præstet potentia.

XXV.

Respectu
constitu-
torum
cautio 1.

In constitutis cautio est (1) ut non sint diuturni.

Suspecta merito est potentia non immensa tantum sed & diuturna, imo ea quoq; iniqua. Quando enim multi dantur pares, fieri non potest ut omnes simul imperent. Interim iniquum tamen est aut saltem videtur, paucos duntaxat imperare, reliquos ab imperio excludi. Hinc non tantum

Quibus de meliore luto finxit præcordia Titan,

sed & viliores ad seditionem concitantur, indigne ferentes, eosdem semper magistratibus præesse, præmiaque etiam secum non communicari, uti contra Platonem disputat Arist. 2. Polit. 3. Testatur illud multiplex illa secessio apud Romanos, quæ tum demum cessavit, cum in societatem imperij ples assumpta est, Tribunicoque Plebis creati sunt & è Plebijs consules lecti. *Pares enim sunt jam velut multitudo, quare & inter hos sæpe damagogi existunt,* inquit Aristot. 5. Polit. 8. qui hujus iniquitatis ratione multitudini injuriam ab imperantibus factam persuadere & sic statum evertere nituntur. Idem respectu Imperantium periculosum esse tradit Philosoph. 5. Polit. 8. quod ejusmodi magistratus vel imperantes in solentiores plerumque reddantur imperij diuturnitate, & faciliori negotio reip. noceant, dum amore & dulcedine imperandi perciti tyrannidem non nunquam invagant. Hinc Tullius aliquoties conqueritur de diuturno Caesaris imperio, cui cum dictatura perpetua esse collocata, facile remp. Romanam tyran.

tyrannus invadere & occupare potuit. Imperatori enim qui egregio exercitui longo tempore imperasset, facile fuit eum divincire, ut Senatus P. Q. Romani quodammodo oblitus solos Imperatoris fasces agnosceret uti concludit Machiavel. *lib. 3. discurs. in Liv. c. 24.* Ideo Scipio Amiratus *lib. 1. discurs. ult.* asseverare non dubitat Romam imprimis ob solam imperiorum prorogationem servituti mancipatam fuisse. *Quamquam enim ob propagata imperia seditiones Romanae proprie ortae nulle videantur, constat tamen eos, quibus prorogati fuerunt magistratus, ad tantam auctoritatem potentiamque pervenisse, quae publica libertati perniciose fuerit, inquit Machiavel. d. l. ubi L. Quintium laudat, qui ut rem mali exempli execratus consulatum sibi prorogari non sit passus. Et Aemilius Mamercus unius tantum diei Dictator reip. incommodum cernens dictaturam sponse deposuit: ut re ipsa, inquiens, sciatis Quirites, quam mihi diuturna non placeant imperia, dictura me abdicat Liv. lib. 4. c. 24.* Optime ergo notandum monitum Bartholomaei Caleonis quod Mars, *de leg. lib. 2. diff. 11.* notavit. Is postquam Dux bellicus acerrimus ac fidelissimus Venetijs praefuisset viginti amplius annos, jam senio gravis, ne mori quidem voluit, nisi salutari monito optimae de republ. mereretur. Senatum ex quadrante heredem scripserat, pro quo affectu clarissimi aliquot missi a rep. viri, jam proximum metam fatali accesserunt, non interiturae gratiae & gloriae praemium apprecaturi. *Et habeo, inquit ille, unumquodque grandius quod senatui consignem. Resp. vestra me praefectum perpetuum habuit, & habuit fidum utilemque nunc suadeo quoriorque, ne perpetuus deinceps constituatur militiae praefectus, si recip. perpetuitas speranda aut stabilienda vobis est.* Hactenus Mariel, ubi addit: *agnoverunt salutare hoc monitum Veneti & adhuc hodie sequuntur.* Ratio igitur status videtur potius suadere

suadere ut semestres v. g. vel annui tantum sint magistratus nec prorogentur aut saepius conferantur. Vbi tamen distinctio inter majores & minores, item *ratione status* & necessitatis videtur attendenda, qua de vid. Philos.

6. *Polir. 1.*

XXVII.

Cautio 2.

(2) Privata vitent commoda.

Vnicuique recte imperanti publica praesertim utilitas cure esse debet. Duplex autem ratio est illius publicae utilitatis. Nam in rebus publ. recte omni ex parte se habentibus utilitas quaeritur in communi omnium & quidem ex aequo cum imperantium tum eorum qui parent, imo horum maxime. In minus rectis emolumentum spectatur, primo quidem ejus qui imperat, secundaria autem subditorum. Jam vero magistratus, quoniam sunt quasi servi eorum a quibus constituuntur: ergo necessum est, ut ad illum scopum qui in republica qua vivunt est propositus sese & sua omnia componant. Ex quibus perspicuum, quod qui Imperio civili sint praefuturi, bonum publicum propositum omnino ut habeant sibi, è diverso vero privatam postponant, hoc proprium & principale *rationis status* monitum, quae ipsa nihil aliud esse dicitur quam utilitas reip. *sup. conclus. 10.* Vnde elegantissime Cic. *1. offic.* ait: *ut tutela sic procuratio reip. ad utilitatem eorum, qui commisi sunt, non ad eorum quibus commissa sunt, gerenda est.* Publica res est quam procurare debent, quod si facere neglexerint magistratus, aut publicis privata anteponant, reip. naturam nobis invertere videntur. Imo omnium maxime videndum, ne publica compilentur a magistratibus. *Principium sane discordiae est aliquid commune suum facere.* Hinc in hac magistratuum abstinentia, sive fugienda pro-

2
propria utilitate, seu, si aut legibus aut alia descriptione
ita temperata sit Resp. ut magistratus sibi ex ea quæstum
facere nequeant, quantum sit positum ostendit Arist. *s. Polit. 8.* Laudatur à tali abstinentia Epaminondas, quod
paupertatem adeo secile sit perpeffus, ut de rep. nihil præter glo-
riam ceperit. Corn. Nep. in ejus vit. Quid enim? Habere
quæsti uremp. non modo turpe est, sed sceleratum etiam, & nefa-
rium, inquit Cic. *2. offic.* Hinc Arist. *s. Polit. 8.* ait in omni rep.
maximum esse hoc præcavere: & Cicero *d. l. Caput.* inquit, in
omni procuratione muneris publici, ut avaritia pellatur etiam
minima suspicio. Seditio enim facile oriri potest, si subditi
videant magistratus publica compilare. Maxime autem
& imprimis hæc cautio attendi debet in Oligarchia secun-
dam Arist. *s. Polit. 8.* Quippe ea impune admiffa *status*
rationem Oligarchiam interire probatu facillimum esset.
Nam duplici dolore affici multitudinem ex Philosoph.
discimus, si ex publico magistratus ditescant. Primo enim
videt se carere honoribus, & ad magistratus non adhiberi,
deinde nec quæstus fieri participem. Si à magistratibus
arceantur, id quidem non magnopere curat, quin potius
lætatur, si suis rebus vacare sinatur; indigne vero fert, si
magistratus publica depeculari putet. Hinc furere & fre-
merentium contra magistratum incipit, cum periculo & impe-
rantium & ipsius status. Cautio igitur est multitudini po-
tius quæstum occasionem relinquere, ut acquiescat, quam
sibi hoc modo invidiâ parare. Et ne magistratus publica de-
fraudare ausint, cautionem *d. l.* tradit Arist. nempe ut ratio-
nes accepti & expensi exigantur præfente populo & omni-
bus civibus, & deinde exempla rationum redditarum in
curijs deponantur non uno in loco: sic futurum, ut ma-
gistratus fideliter & sine quæstu gerantur. Sed qui hoc?
Nimirum sic singulis tribubus constabit, quid valeat ara-
rium,

rium, qui reditus annui, ut in horum ratione reip. imponi non possint. Sed instet quis: quod nemo molesto illo magistratus munere sit functurus, sed quisque potius ferriaturus, si tot adsint coricæi & observatores, nec ullum pro labore præmium, nec omnis præcisâ lucris occasione ullum ad imperantes redundaturum commodum. Respondet Philosophus locupletes & nobiles ad capescendos magistratus magnis præsertim sibi delatis honoribus allici, si videlicet loco pecuniæ, quam alias expectassent, iis, qui magistratus præclare gesserint, constituatur honos & reverentia non exigua, qua cum omnes plerique homines ducantur, tum maxime optimi quique. Idemque consilium suggerit Philosophus etiam in *Rhetor. ad Alexand. c. 3. locupletes, inquit, pro ea, quam in publicum exhibent munificentiam, statutis quibusdam honoribus, ab ipsis legibus donentur, sic & agricolas pauperibus & navium gubernatores vectoribus anteponant. Sic enim & locupletes non in viti Reip. inservient, & plebes non calumniâ sed ministeriis studebunt.*

XXVII.

Cautio 3.

(3) Vitent dissensiones inter se.

Quantum utilitatis in publicum conferat concordia in genere, id vidimus *sup. concl. 15.* Multo ergo magis conducet Reip. imo necessaria est unanimitas Principum in reip. virorum. Hoc *rationem status* postulare indicat Philosophus, *Poliz. 8.* ubi ne ejusmodi virorum dissensiones, motus & contentiones oriantur legibus cavendum præcepit. Plerumque enim accidere solet, ut primorum ejusmodi factionibus reliqua multitudo, vel studio, vel mercede, vel furore quodam se adjungat, cujus exemplum recenset ipse Aristot. *3. Poliz. 8.* Hinc istas primorum & administrantium dissensiones rectissime Livius *lib. 3. c. 67.* vocat *venenum urbis.* Siquidem id experientia testatur, modo con-

fide-

2

fiderimus patriam nostram & in ea tricennalia jam gesta bella, nisi fallimur, sola & unica Procerum discordia ita protracta, ut mirum sit Turcarum potentiam majus non fuisse incrementum, id quod alias certo eventurum minitatus est Arnisaus *lib. 2. doct. Pol. c. 4.* post Sturm. *Dial. 1. de Bell. Turc.* Cum intestina discordia animos ut plurimum sumere faciat hostem externum. Sicuti de hac Principum imperij dissensione false satis etiam gloriatum Ibrahim Turcicum Bassam testatur Abraham a Kreckvitz *in Silvula historico Polonica.* Is cum coronationi Maximil. II. Imperatoris interesset, ipsique tres Germaniæ Principes Imperatorem comitantes monstrarentur, sc. Saxo, Bavarus & Juliacus, addito nimirum hoc, quod illi sint adeo potentes, quisque eorum satis firmam contra Turcam possit instituere expeditionem, respondisse fertur subridens, se quidem satis perspicere ex tanto apparu summam Germaniæ potentiam; eam ipsam vero sibi similem videri serpenti multorum capitum, sed unius caudæ per sepe repturo. Regnum contra Turcatum simile esse serpenti unius capitis, sed multarum caudarum. Tacite indicans, si serpens Germanicus sepe perrepere nitetur, singula capita quærere singulos & diversos meatus, & sic hæere totum serpentem seque ipsum impedire. At vero Regni Muhamendani monocephalum serpentem, quocunque perreperet, sine impedimento attrahere omnes caudas & exserere omnes vires. Qui Barbari sarcasmus videtur minime barbarus. Eodem modo cum Muhammetes Imperator vereretur ne Occidentis Principes Constantinopoli à se obsessæ auxilia submitterent, Sogambassa metum ei his verbis dempsit: *nostræ Italos Principes ob Poliarchiam concordēs esse non posse*; hinc multa illi quidem ratiocinantur, consultant, decernunt, sed horum nihil
aut

aut parum exequentur, & quod hodie volunt, ejus cras
pœnitet. Ergo nihil est quod verearis. vid. Forstn. *ad Tacit.*
4. Annal. Et certe quod de dissensione Procerum Imperij
& Italiae jocati sunt isti Bassæ, id certe optime etiam ap-
plicari potest ad dissidia magistratuum cujuslibet alterius
formæ, ea sc. reip. impedire incrementum, imo statum
facile evertere. Namque inter illas Procerum dissensiones
secutasque strages ipsi demum reip. admittitur quicquid
victis perit. Optimum igitur est in tempore ijs, antequam
orientur, occurrere, sed quo remedio? Philosoph. *d. l.* vult
operam dandam esse, ut per leges caveantur, ne unquam
accidant, quod tutissimum esse facile quisque largietur. Sed
quid si jam orientur? Arist. suggarit aliam cautionem,
quæ est, ut id omnino & ab initio agatur, ne reliqua mul-
tudo & ji, qui adhuc extra seditionem sunt, hinc dissen-
sioni se implicent. Verum hoc opus, hic labor. Non e-
nim cujusque esse exoriens malum nosse, nedum ei salu-
tarem afferre medicinam, testatur ipse Philosophus, sed
viri demum Politici, imo *Semidei Politici*, ut verbis utamur
Lampadij *de Rep. Rom. Germ. part. 3. c. ult.* Quod si ve-
ro ita vires sumat, ut nec legum executioni amplius lo-
cus videatur esse, compositioni studendum, conciliatio
amica tentanda videtur, quibus omnibus irritis majori
utendum vehementia, qua de videantur Tholozan. *de Rep.*
lib. 23. c. 9. Bodin. *lib. 4. de Rep. c. 4.* & Arnifaus *lib. 2. doctr.*
Polit. c. 5.

XXIIIX.

Cautio 4^a

(4) Servent sibi autoritatem & subdito-
rum benevolentiam.

Animam omnis regiminis qui dixerit autoritatem,
nobis sane errare non vigetur. Frustra enim imperet, &
ut trun-

ut truncis inter ranas sedeat, qui sua autoritate illos qui parere debent, movere nesciat. Hanc nihil aliud esse putamus nisi de magistratum virtutibus, earumve affinitibus opinionem quandam reverentem. Opinione profecto ista opus, ubi magistratus sustinetur. Cum enim potissimum imperandi munus magistratum declarat secundum Arist. 4. *Polit.* 14. & nemo nisi dignior & superior imperet viliori & inferiori, juxta eundem 1. *Polit.* 3. hinc patet, ut imperium subsistat, requiri ut parentes viliores ve existant, vel tales habeantur, imperantes vero meliores. Adeoque in magistratu requiritur amplitudo quædam, quæ eum magis verendum reddit & in animis parentium ei majorem reverentiam conciliet. Id fieri potest, si juxta ista requisita, quæ *supra concl.* 23. memoravimus, morum gravitate utatur, i. e. si visu, sermone, habitu, gestibusque non mollibus, sed ad gravitatem compositis se spectabilem præbeat. Et ex hoc maxime vulgus eum admiratur. Confert huc justa ætas, cujus ob morum tranquillitatem & gravitatem auctoritas est affecta. *Marsel. lib. 1. diff. 13.* Præterea etiam consultare debent magistratus, sed quod melius consilium quam senum? Vnde prudens consilium per eminentiam vocatur senile: juvenile vero in temeritatis proverbium abiit; ut vel hinc aliquid auctoritatis senibus accedere videas. Absint tamen repurascens: non enim tam canitiem, quam canam (liceat ita loqui) morum compositionem requirimus, rerumque intelligentiam, & prudentiam, ita cum gravitate junctam, ut magistratus utiliter de rebus omnibus ad usum nostrum pertinentibus consulere & providere, optimisque parentes consilijs regere possit. Deinde ad obtinendam & conservandam auctoritatem maxime prodest, si non nimium familiariter cum subditis versentur. Nimia enim conservatio & fa-

G

milia

miliaritas sive *continuus aspectus minus verendos magnos homines ipsa societate facit*, inquit Livius *lib. 5.* & contemptum potius inducit, Vid. Lips. *in monit. Polit. lib. 2. cap. 10.* & *in Civil. doct. l. 2. c. 16.* quo tanquam peste se omni ope, & studio vindicabit magistratus. Quin ratio status eos qui ad clavum sedent, severitate legum manifestum facere jubet, quam non sint dictis aut factis contemptui aut contumeliosi habendi. Marfel. *lib. 2. diff. 43.* Cujus vero famam unus impune lædit, ejus auctoritatem plures negligent. Quid autem salvi amissa auctoritate? Vtique hic præbebitur cuique ansa impune in remp. peccandi, statumque invadendi, si nemo magistratus auctoritatem veteri ausit. Severitate igitur opus, non quidem rigorosa ista semper, quæ urat, læcet, sed necessitate tantum exipente. Nonnullorum enim contumaces animi & plura, si inhi-beantur, ausuri, laxamento aliquo melius curantur. Strad. *dec. 1. lib. 4.* Ideoque sufficit iustitia ista, quam initio requisivimus, quæque amorem & benevolentiam subditorum magis erga magistratum, quam odium excitat. Benevolentiam dicimus, quæ non auctoritati magistratus minus conducit, eamque promovet, quam auctoritas magistratui necessaria est. Benevolentia igitur subditorum studere debet magistratus, sed ita ne nimis humiliter eam aucupari videatur. Idque est quod monet Arist. *5. Polit. 8.* maximum præceptum in eo positum esse, ut imperij participes sint faciles erga expertes ejusdem, & ita se gerant, ut decet & oportet. Cavendum tamen ne humanitas illa & felicitas excedat nobile illud medium, quod uti in ceteris est maxime attendendum, ita & hic non in ultimis habendum. Nunquam enim aut reverentiam terrore aut amorem humiliare captabis, inquit Plinius, *in Panegy.* Virtus utramque paginam, quod ajunt, faciat, admirationem, cul-

2
cultum & amorem conciliabit. Vt quemadmodum subdito insurgere contra magistratum autoritate pollentem non audent, sic præ benevolentia non velint. Magistratus igitur utilitatis publicæ causa sibi autoritatem cum benevolentia subditorum conjunctam, comparabit & conservabit.

XXIX.

Denique ratione reliquorum civium ne occasio derur seditionibus observandæ quædam cautiones, quæ concernunt eorum vel mores & vitam vel æqualitatem.

*Resp. reli-
quorum
civium.*

Non enim sufficit nosse Politico, quæ conservent corpus Politicum à parte imperantium, sed & ignorare eum non oportet, quæ parentium à parte noxiari mereantur. Haud multo minus enim statui periculum impendet, si mores & vita civium corrumpantur, vel inæqualitas irrepit, quam autoritas imperantium, vel respectus ille qui inter parentes & imperantes & necessitate ordinis observandus est, labefactetur. Quinimo pravi mores inæqualitas sunt illa vitia, quæ civibus ansam præbent, ordinem istum rumpendi & imperium detrectandi, uti in sequentibus fusius videbimus.

XXX.

Quoad prius igitur non permittendum, ut quisque suo more & modo vivas, sed videndum omnino ut Reip. accommodate.

*Et quidem quoad vitam
Cautio. 1.*

Fronto Consul (ut est apud Dionem in Nerva) dixerat, malum esse eum imperare, sub quo nemini quicquam concessum, sed longe pejus sub eo vivere, sub quo maxime liceat. Licentia enim vergere solet in magnum malum. Hinc prudentiæ iste oculus, cuilibet non permittendum

G 2

ut suo

ut suo more modoque vivant, adeo inculcat *s. Poliz. s. ut* præ se expresse ferat, ejusmodi licentiosos propter privatas vitas res novas quærere. Vbicunque enim lascivia, libidines, jurgia, perjuria & luxus regnant, ibi non potest non exulem agere probitas & modestia, duo omnis imperij ulcra. vid. *sup. Concl. 16.* Hinc pro *ratione status* Philofophus *civ. loc.* suadet constituendum quendam censorium magistratum, qui observet eos, qui reip. non vivant accomodate. Hujus generis magistratus apud Romanos fuerunt censes. Quorum, & præsertim Cassij, Longini, Cæpionisque severitatem laudat Vellei. Pater. *lib. 2. c. 1a.* quia *Lepidum Emiliū Lugurem, quod sex millibus ades conduxisset, adesse jusserunt. At nunc, addit, si quis tanti habitet, vix ut senator agnoscat, adeo mature à rectis in vitia, à vitis in prava, à pravis in prapicia pervenitur.* Nec defuerunt hi magistratus apud Athenienses, apud quos nomine *ἐπιτηδῶν* insignibantur, hi morum magistri in Areopago inquirebant in civium mores, ut statui essent congruentes. Corrupti enim mores civium & luxui deditorum ægrotantis civitatis sunt indicia, imo interitura. Quippe licet necessaria ad id vitæ genus tandem deficiant media, libido tamen permanet, eosque ad quævis facinora velin rempubl. intentanda impellit. Vnde constat quam noxia reip. hæc vitia, tam necessariam reip. esse censoriam potestatem, quam vere *magistrum & custodem pacis* appellat Val. Maxim. *Diff. Fact. Memor. lib. 2. c. 9. pr.*

XXXI.

Cant. 2.

Huic rei maxime conducet, si cives ab initio ad præsentem statum bene instituantur.

Visus à circumfuso aëre lumen accipit, mens à doctrina, dicere fuit solitus Arist. apud Diog. Laërtium in ejus vita.

Omnis

2
Omnis enim doctrina ad prudentiam facit, & animus ferox per doctrinam mollescit, & se frangit, discitque affectus & omnes mo-
rus magis habere in potestate. Lips. in not. ad l. 1. suor. Poliz c. 10.
Hinc rectā informationem usq; adeo inculcat Philosophus,
ut omnium ante ad hoc ut resp. conseruentur expositorum
maximum esse, & veluti summam reliquorum in se continere
s. Poliz. 9. affirmare haud dubitet, si a primis annis recte ci-
ves & statui congruenter erudiantur, sin minus non posse
non adesse certum reip. interitum. Nec aliud Brutum con-
sulem impulisse arbitratur Clapmarius l. 2. de Arcan. Rerum-
pub. c. 10. quod favori civium, etiam domus sua clade, & parrici-
dio velificatus sit, uti verbis Flori utamur quæ habet l. 1. c. 9.
Liberi enim Bruti, quod in regno nati & educati essent,
huic reip. formæ convenientes, studebant revocandis in
urbem regibus. Id quod parenti ægre erat, & parum pla-
cebat, tanquam qui remis velisque contenderet, ut verum
vindicem sese libertatis publicæ, severo etiam in filios
supplicio, idque abrupto omni paternæ necessitudinis vin-
culo testaretur, quemadmodum commentator Stadius ibi-
dem facit fidem. Legumen enim ait Philosoph. cit. loc. utilis sima-
rum & decretorum, quæ ab omnibus temp. gerentibus sint facta,
nulla est utilitas, nisi sint assuefacti, & instituti in rep. populariter
quidem, si leges sint populares, oligarchice vero, si sint oligarchi-
ca. Quippe uti longe diversa ratio est administrandi regna
& Aristocratiam quam rep. stricte dictam, sic etiam pro
diversitate administrationis diversi mores civium, atque
parendi promptitudo requiretur, cui consuetarium infal-
labile erit, omnes omnino cives à teneris statui unicuique
conformiter instituendos esse, si perpetuo incolumis ser-
vari debeat status. Quod ipsum inductione elegantissima
innuit Philosophus 1. Poliz. 8. Siquidem, ait, omnis quidem
domus pars est civitatis, liberi autem domus, patris autem viri-

G 2. *omni qui rem ad*

*aem ad totius virtutem spectare oportet; necessario in civitatem
 intuentes instruere debent & liberos & uxores, si quid interest
 ad hoc, ut civitas sit bona, liberos quoque esse bonos & uxores bo-
 nas. Interesse autem necesse est. Nam femina quidem pars, di-
 midia sunt liberorum caput. Ex liberis autem participes civi-
 tatis oriuntur. Hæc Philosophus. Ex quibus verbis sat
 abunde patet si civitas florere debeat, tempestive liberos
 ad præsentem reipubl. formam esse erudiendos, ideo-
 que hoc ipsum monitum iterat Philosophus *s. Polit. 1.*
 his verbis: *legum latori plurimum opera ponendum esse in pue-
 rorum educatione, (quod in civitatibus prætermisum reip. nocet)*
*nemo dubitaverit: quoniam ad quamque temp. sua est admini-
 stratio dirigenda, cum sui quamque mores, & tueri, & ab initio
 fundare soleant, hoc est populares mores temp. popularem, &
 paucorum potentiam, qui sunt huic generi accommodati: semper
 tamen optimi quique mores melioris reip. sunt causa. Et Tullius
 lib. 2. de Divinat. nullum, ait, munus reip. majus meliusve af-
 ferri posse, quam si doceatur atque erudiatur juvenus, his præ-
 fertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut o-
 mnium opibus refrananda atque coercenda sit* Quibus verbis
 & Philosophus & Cicero optime significat, quod recta
 juventutis & congruens ad cujusque reip. statum insti-
 tutio sit fundamentum, cui unice innitatur salus reip. Vn-
 de etiam haud raro juvenus spes & seminarium reip. nun-
 cupatur. *Institui autem convenienter reip. non hoc est, effi-
 cere quibus gaudeant Oligarcha vel qui Democratiam volunt, sed
 quibus possint, hi quidem Oligarchiam tenere, illi vero Democra-
 tiam pergit dicere Arist. cit. c. 8.**

XXXII.

Quoad a-
 qualitate
 cautio. 1.

Quoad posterius cautio est, ut ita res di-
 sponatur, ne unus ordo crescat, ut alterum
 possit suppressere. In-

Inæqualitatem, vel vanam inæqualitatis persuasio-
nem, qui vocarit quasi fontem & scaturiginem omnium
seditionum, ex quo fonte reliquæ instar rivulorum pro-
manant seditiones, nostra sententia à vero non abfuerit.
Non tantum enim pares ferre non possunt imperium ali-
quod in se æqualis, verum etiam ii, qui sibi æqualitatem
persuasam habent, ægerrime ferunt alios, qui vel genere
vel opibus tantum dispares, omnino imparia sibi vindica-
re velle. Hinc dissident, hi imparia præ illis affectantes,
illi æqualitatem vindicantes. Dum igitur utrique superio-
ra quarunt, nituntur jure quodam & prætextu, quo reip.
participes fieri student, id quod quando non obtinent,
seditiones movent, ut resp. tandem vel intendatur vel re-
mittatur. Vide hac de re differentem Philosoph. *s. Polit. 1.*
Ut igitur inæqualitas haud postrema est destruens rep.
causla, ita æqualitas est præcipua eandem conservans. I-
deoque inter alias cautiones politicas huc non incommode
referri posse existimamus, ut prudens legislator omnino
operam navet, ne ordo aliquis præ ceteris accrescens, al-
terum aliquo modo suppressere possit. Quemadmodum
enim unus aliquis homo magno animo præditus, præfer-
tim si prospero fortunæ statu aliquantisper utatur, totam
reip. summam ad se trahere, ita multo magis id fieri po-
test in integra aliqua multitudine, si illa nonnihil rebus
secundis insolescat, ut omnem civitatis gubernationem
reliquis exclusis ordinibus sibi soli subiciat. Ita tres o-
lim Romæ fuerunt præcipui civitatis ordines, senatorius,
equestris & plebejus. His ordinibus bene inter se tem-
peratis nulla fere fuit reip. discordia, perturbatis autem i-
stis & exaggeratis reliquis duobus, cum depressuri essent
Gracchi senatorium, concordia in rep. esse desit, summa
intimis misceri ceperunt, hinc seditiones Gracchanæ ex-
hac

hac ordinum inæquali dispositione, ex quibus quantum detrimenti ceperit resp. Romana vide Flor. *lib. 3. cap. 14. & 15.* Optima ergo est cautio, videre ne alter ordo potentia nimis inæqualis, aut alteri formidabilis existat.

XXXIII.

Cautio 2. Huic subservit & alia cautio, id agere ut is ordo qui præsentis reip. statu est contentus fiat potentior.

Conclusionem superiori datae cautioni Aristot. 5. Polit. 8. addit id, quando si potentia unius ordinis gliscat, tria remedia, sc. (1) ut magistratus, & reip. curationes semper contrarijs demandentur partibus, nimirum si divites potentia prævaleant, pauperibus reip. cura & magistratus committantur, sic enim factum unius partis alterius potentia retusum iri. Aut (2) ut divites pauperibus & tenuibus apte adjungantur, neque divites solum cum divitibus aut boni cum bonis sunt copulari, sed permixti sint inter se. Hanc namque concinnam permixtionem æqualitatem esse servaturam, & seditiones ex inæqualitate nascentes sublaturam, dum cognationis vel affinitatis vinculis animorum conspiratio arctius adstringatur. (3) Ut media pars præ ceteris augeatur, sic futurum sc. ut apposita pars tentare nihil ausit. Verum cum plerumque quicquid potentiam, id simul & desiderium majoris potentiaugeat, nobis autem non tam de augenda & reformanda, quam conservanda eadem numero rep. *ratio status* agere jubeat, ambigimus, an modo dicta remedia sufficienter ad scopum nostrum faciant. Ideoque ea cum temperamento aliquo accipienda esse ducimus. Nam summe quidem aliquando utile est, imo necessarium, ut aliquis ordo præ ceteris ad majorem evchatur potentiam, verum non ille-

2
ille, qui vires suas & autoritatem ita exserere posset, ut statum in aliam formam converteret. Cum enim non magni negotij sit reip. definire & instituere ad duos tantum vel tres dies, sed potius ad longissimum tempus eandem firmare & conservare, ante omnia in id incumbendum ut si ordines inter se civitas diffidere velint, is præsertim juvetur & potentior reddatur, qui non modo eum statum ferre non recuset, sed & reip. ita stare exoptet, perennareque velit. *Pars enim civitatis, quæ reip. salvam manere vult, ea qua non vult, plus posse debet* Arist. 4. Polit. 12. Sic fiet, ut ille civium ordo, qui statu præsentis non delectatur, eumque immutatum vellet, præ altero res novas machinari non ausit, sicque stabilitas reip. & ratio status obtineatur. Et hoc præceptum Arist. 5. Polit. 9. tam religiose inculcat, ut illud ibidem sæpe commemoratum maximum principum appellet.

XXXIV.

Tandem omnes omnino reip. otores cum *Cautio 3.*
suis sophermatismis procul absint.

Sophermata ista, seu commenta vel captiosa instituta quid sint memorat Arist. 4. Polit. 14. & nos superius *concl. 17.* de ijs aliquantulum egimus. In hæc & ijs utentes captiosos homines convenit, præclarum istud Tullij 1. offic. quando *cavendum esse*, ait, *ne assentatoribus parefaciamus aures, nec adulari nos sinamus, in quo falli facile est.* Quippe non magis fidei est adhibendum callidis istis & fraudulentis adulatorum consilijs, quam non permittendum, ut vel minimum in legibus semel receptis immutetur, quæ de re supra *concl. 21.* cautionem dedimus. Hac enim ratione æque, non quidem aperte, sed occulte & sensim reip. forma commutatur, id quod docere solet effectus sophermaticæ istius adulationis. De his sc. demagogis i. e. popularis

H

laris

laris aura captatoribus, seu dominationis magistris & pravis consultoribus, qui calliditatis suae commenta sive populo, sive Principibus, sive optimatibus, sive plebi instillant eorumque potentiam, opes, fastigium in immensum amplificare ac firmare student graviter conqueritur, Boet. in *Annor. Pol. ad Tacit. 1. Annal. c. 6. n. 6.* quando enim Aristoteles inquit & prudensissimus quisq; Politicorum, consiliorum & actionum civilium hanc ponunt regulam: nihil utile putandum, quod non sit honestum, ubi magistri dominationis plane ex adverso nihil in honestum Principi (par ratio vero est & plebis & optimatum & divitum) quod fructuosum pronunciant. Nihil tam erudele, tam turpe, quod non suadeant, & (pro dolor) plerumq; persuadeant. Et deinde, virtutum nomina vitij imponuntur. Callidum est illud ex ore Mecanatis quod adducit Dio, Cassius quo Augusto audaciam addit & pudorem minuit. *Etiamsi inquit dicaris vi occupasse imperium, tamen id à laude, quam à vituperio propius abfuerit, est enim generosi animi altissima cupere.* Verissime ergo dicere possumus hoc nihil aliud esse, quam virtutum & vitiorum nomina permutare, vitijque virtutum nomina induere. Quid enim hoc aliud quam rei turpitudinem verborum lenocinijs obtegere? Spectare huc arbitramur Orationem Othonis qua re ferente Tacit. 1. *Hist. 27.* arguit Galbam: inquit, *quae alij scelera hic remedia vocat dum falsis nominibus severitatem pro severitia, parsimoniam pro avaritia, supplicia & contumelias militum disciplinam appellat.* Hinc blandas istas suggestiones Diogenes Cynicus scitissime melleum laqueum dixit, quod blande amplectentes homines tandè jugulent. Quamvis enim callidi isti seductores & malarum artium magistri his fucis & fraudulentis strophis consilia sua vafre hominibus insinuent, dum ubique *rationem status* jaectitant, accuratius tamen rem illam

illam omnem introspicienti facile liquebit, ea plena esse adulationis & iniustitiæ, adeoque vitandos hosce esse seductores nefarios & procul arcendos. *Adularores enim suadent, quæ placent: & non suadent propter bonum multitudinis, sed propter bonum suum* D. Thom. in *Explan. Polit. Arist. lib. 5. lect. 7.* Nam etsi prima fronte ejusmodi homines non appareant, quasi aliquid faudis penes se occultarent, & non nihil monstri alerent, exitus tamen probat, & cum magna reip. convulsione sapissime docuit, quantum promissere boni, tantum præstitisse mali.

XXXV.

Iam de vi externa, Quæ imminet quando *Vel à vi externa* contraria quædam est resp. vel prope vel longe quidem dissita, sed quæ sit potens.

Ita vim internam describit Philosophus *s. Polit. 7. reip. formidolosam*. Quando enim resp. contraria i. e. diversæ formæ extra civitatem vel prope vel longe, quæ Potentia hanc superet, tunc ne eam corrumpat timendum est propter contrarietatem. Vnum enim contrarium natum est dissolvere alterum. Nec difficile hoc factu, modo extranei isti civitati hujc bellum inferre satagant. *Tunc enim ut Piccart. in Arist. s. Polit. 7. ait, victrix resp. victa statum exosum tollit, & suam formam in eandem introducit.* Hoc apud Athenienses & Lacedæmonios accidisse ex *cit. loc.* Aristotelis docemur. Cum enim Lacedæmonij oligarchias haberent & amarent, Democratias vero contra odissent, victores ij ubique statum popularem pro arbitrio pessimum dabant & in statum paucorum mutabant. Athenienses vero contra Democratias summi patroni, & oligarchiarum osiores, statum paucorum ubique destruebant, & in statum popularem convertebant. Neque solum ipsæ rerumpubl.

H 2

formæ

formæ mutationibus sunt obnoxia, verum & non raro illi qui ipsis præfunt. Multa namque Assyriorum & Perfarum regna, non quidem quoad ipsam reip. formam, sed quoad personas gubernantes mutata fuisse historię sat abunde loquuntur. De reliquis modis, quibus extrinsecus & casu aliquo mutantur Resp. vel potius penitus delentur puta inundatione, incendio uti quondam Sodoma & Gomorra, aut aliquo terræ motu qualis unica nocte duodecim Asiæ urbes prostravit, aut inedia, aut pestilentia, aut alio morbo fontico, plurima quidem in medium adferri possent. Verum cum horum & similibus vis à solo Deo avertatur, nobis autem de istis tantum quæ humanæ prudentiæ, & sic rationi status subjaceant, agendi animus sit, ideo sic quod dicitur, pede illos præterimus.

XXXVI.

Cujus an-
sana elu-
dendi.

Tunc autem contrariæ isti reip. præsentem hujus statum mutandi ansa præberi potest, vel per nimiam securitatem eorum qui subsunt, vel per temerariam incuriam eorum qui præfunt.

Thraſybulus olim à Tyrannis triginta, qui Athenas servitute oppressas tenebant, patriam, sed ob solitudinem despectus, vigilantia sua liberavit, hac occasione motus, in bello nihil oportere contemni, nec sine causa dici matrem rimidi flere non solere, inquit. Cornel. Nepos in vit. Thraſybul. Idem quoque verum in rep. Romana deprehendimus. De Arminio testatur Vellejus Patercul. lib. 2. c. 118. quod segnitia Ducis — Vari otio magis castrorum quam bellicæ assueti vigilantia in occasionem sceleris sit usus, haud imprudenter speculatus, neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret,

& se-

2
et frequentissimum initium calamitatis esse securitatem. Et
deinde opprimi posse Romanos, et dicit et persuadet, decretis fa-
ctis jungit, tempus insidiarum constituit. Arminium hoc ma-
chinari, nunciatum quidem fuerat Varo per Segestem, ve-
rum ille præ incuria negebat se credere, spemque in se benevo-
lentiæ ex merito aestimare profitebatur, verum ista sua fides et
spes in culpam transit et exercitus omnium fortissimus, disci-
plina, manu experientiaque, bellorum inter Romanos milites prin-
ceps, marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortuna circum-
ventus, silvis, paludibus inclusus, insidiis ab eo hoste ad interve-
nionem trucidatus est. Hæc Vellejus, d. c. et seq. qui optime
vidit et vere testatus est, segnitiam et incuriam, perfidiam et cuique
hosti occasionem præberi vel insidijs vel omnimode aperte
remp. invadendi et opprimendi.

XXXVII.

Ideoque anfa ista ut eludatur, conducit (I) Cautio 3.
interdum civibus metum incutere.

Ultimos centum annos tertia ætatis populi Romani
fuisse aureos, dum Pœnorum hostium imminens metus discipli-
nam veterem continebat, dixit Flor. in Anacephal. tertia ætatis
lib. 3. c. 12. Nam minus læditur, qui haut imparatus im-
petitur, aut istum timet pravissimumque eundem excipere
meditatur. Contra socordes periculi contemtores nulla
parte se non offendendos præbent. Dum igitur Pœnorum
hostiles conatus impendebant Romanis, quivis majori so-
licitudine et vigilantia salutem reip. quærebat et interitum
evitare studebat, Sic Regna custodit metus, ut ait Senec. in
Oedip. Iam cum periculum sit, ubicumque est res terribi-
lis (talis autem sit ita potentium quos constat et velle et
posse lædere, cum ut plurimum homines injuriam cum
possunt faciant, confert Arist. 2. Rhet. 5. n. 5. et seqq.) mani-

H 3

festum

festum est hos non contemnendos, sed summe metuendos esse. Cautio igitur contra vim externam *rationi status* imminentem traditur, ut civibus manifestetur injuriam à potente altera rep. ijs & inferri posse & imminere. Hoc optime fiet, si pericula, quæ etiam procul absunt, fingantur prope esse & hostes longinqui in vicinia hære, ac velut agmine toto in rep. irruere dicantur. Tunc enim juxta Aristot. 5. *Polit.* 8. eveniet, ut *metuentes magis tractentur* atque eo major custodia & diligentia conservandæ reip. à civibus adhibeatur, quo majora eidem pericula imminere prætexantur. Ita olim Sertorius tuendi regendiq; exercitus peritus, temporibus difficillimis mentiebatur ad milites, & literas compositas pro veris legebat, ut est apud Agell. *lib. 15. Noct. Artib. c. 22.* Injeti deinde hi terrores nontantum vigilantiam, curam, & custodiam juvabunt & excirabunt, sed si qui ex civibus dissidere velint, hos fæti periculi metuenda societas etiam perquam facile placabit & conjunget. Verum cum à vi externa, sive ab hoste servanda sit resp. & in tranquillitate sita sit salus ejusdem, *Anne paradoxon est dicere utile esse pericula & metus civibus injicere?* Respondemus non hanc Philosophi esse mentem, quod arcescenda pericula, ubi alias nulla evenitura, sed fingenda tantum, ac si prope adessent, & ruinam reip. minarentur. Idque ideo ut diximus quo cives in custodienda rep. sint diligentiores & ad pericula futura attentiores.

XXXIIX:

Cautio 2. Deinde (2.) summe utile est, & ratio status postulat urbem (siquidem illa respublica contineatur) mœnibus, fossis & aggeribus aliisque munire propugnaculis.

De

De munitio urbis legi potest Scipio Amiratus *lib.*
19. disc. 4. dict. sapius tract. ubi egregie satis declarat muni-
menta urbibus quando detrimentosa & quando vero uti-
lia. Huic addi potest Boecler, *Annor. Polit. ad Tacit. 1.*
Annal. c. 9. n. 8. Interim in quaestione. *Anne oporteat ur-*
bes muris esse cinctas, olim diversæ fuerunt sententiæ. La-
cedæmonii putarunt virtutem munitiones & propugna-
cula non admittere, quippe quæ se ipsam defendere possit.
Ejusmodi enim munimenta cives reddere ignavos & ne-
gligentes, dum exercendæ fortitudinis occasio per ea adi-
matur. Sic interroganti cuidam, cur Sparta muris care-
ret, Rex Agefilus cives commonstrans armatos, *isti*, inquit
sunt spartana civitatis moenia. Alteri hac de re percontan-
ti *urbes non lapidibus & lignis, sed virtute inhabitantium*
debere esse munitas. Hoc refert Plutarch. *in Laconic. Apo-*
phibeg. Verum hi prisca simplicitate judicasse videntur.
Quamvis enim Lacedæmonijs largiamur adversus pares
turpe esse muris uti, tamen virtuosus qui moenibus gau-
dens, nihilominus vel virtuta sola insultum adversantium
repellere possunt, vel per muros. Qui autem muros non
habent, non possunt nisi altero tantum hostem avertere.
Iam autem melius est pluribus modis vicissim quam uno
tantum resistere posse. Videtis D. Thom. *in Explanat. Pol.*
Arist. lib. 7. lect. 9. Deinde quid de immunita ista & minus
tuta civitate fiet adversus longe superiores, ut humana &
paucorum virtute impetuseorum, si qui bellum inferunt,
sustineri nequeat? Et quid Lacedæmonij dicerent, *præ-*
sertim hoc tempore tormentis & machinis solerri ratione ad obsi-
dendas oppugnandasque urbes inventis? Arist. *7. Polit. 11.* At-
que si exercendæ virtutis causa civitates non sunt munien-
dæ, quidni etiam domibus privatis non circumdantur pa-
rietes, quò minus habitatores ignavi fiant? Certe ipsa
hæc

hæc talia jactantes Lacedæmonij exemplo suo erroris se
convicisse legimus. Cumenim Pyrrhus Epirotarum rex ijs
bellum inferret, & extorrem patria Spartanorum regem
Cleonymum reducere conaretur, ne hostis absque ullo im-
pedimento in eos irrueret, non modo subito mœnibus &
aggeribus urbis partem ab hostibus obsessam sepiverunt,
sed & tum temporis virtuti suæ, quam alias ostentabant,
diffidere ceperunt. Ergo si cum *ratione status* ac quasi ex vo-
to loqui velimus *non solum muri circum ducendi sunt, sed dan-
da etiam opera, ut tum ad urbis ornatum, tum ad bellicos nuper
cogitatos usus sint accommodati* Arist. d. l. Id quod ubivis loco-
rum fieri nequit. Ideoque in extruenda civitate Arist. d. c.
12. observandum monet situm loci ut commodus sit civi-
bus sinecessitas exigat, aliis bellum inferendo vel è se pro-
pulsando. Præcipue autem curandum ut urbs in ejusmodi
loco, & ita excitetur, quo civibus exitus sit facilis, hostibus
vero accusat difficilis, & opidum difficulter obsideri queat.
Id vero maxime præstant loca munita. Verum omnibus
absolute civitatibus easdem convenire munitiones negat
Philosophus *civ. loc.* Vbi unius & paucorum statui arces
vult esse accommodatas, populari statui loci planitiem a-
ptam, optimarum denique Remp. plura loca natura mu-
nita desiderare. Consule ipsum Philosophum: nobis enim
in hisce longioribus esse non libet.

XXXIX.

Causa 3.

(3) Alendus miles exercitatus.

Meliorem & exercitatum militem altero imperito fa-
cile fortiorem, paratiorem, superiorem fore, quivis facile
judicabit. In comparatione Cæsaris & Pompeij, *alterius du-
cis (sc. Pompeij) causa melior videbatur, alterius erat firmior.*
Hic omnia speciosa, illic valentia. Pompejum Senatus auctori-

tas, Casarem militum armavit fiducia, inquit Vellei. Patere lib. 2. c. 49. Vbi per militum fiduciam nihil aliud intelligit, quam militari exercitio promptum exercitum. Qua fiducia & ipse Casar in oratione ad milites apud Lucan. de bell. civil. lib. 1. v. 311. ridet & spernit inexercitatum subitoque coactum Pompeij militem, quando ait

Veniat longa dux pace solutus

Milite cum subito, partesque in bella rogata

Marcellusque loquax & nomina vana Catones.

Maraboduum Germanum quod corpus suum custoditum, imperium perpetuis exercitijs pene ad Romana disciplina formam redactum, brevi in eminentem & nostro (i. e. Romano) imperio imendum perduxerit fastigium laudat idem Vellei. Patere. cit. lib. 2. c. 109. Ad Romanæ disciplinæ formam inquit, puta quam ut & artem bellandi Tullus Hostilius condidit, qui mirum in modum exercita juventute, tantum profecisse prædicatur, ut provocare ausus sit Albanos gravem & diu principem populum Flor. lib. 1. c. 3. Hoc præstitit miles exercitatus. Et quid multa? Omnibus omnium ætatum historijs docemur, parum in bello valere militem inexercitatum, & maximos sæpe exercitus à paucis deletos fuisse. Igitur Tacitus ait 12. Annal. revocato prisco more exerceanrur legiones, etiam sine bello, cura, ac provisu agere, perinde ac si hostis ingruat. Sic etiam Alexander M. in regione Sarra diutius subsistens ne desides otio demitterent animos iudices dedit, præmiaque proposuit de virtute militari certantibus. Curt. lib. 5. c. 2. Adde ibidem Iohann. Loccenium. De studio armorum quam illud utile Reip. & quomodo, vid. latius Forsth. ad Tacit. lib. 4. Annal. Vt summatim dicamus, ratio status in rep. nihil fere magis exoptulat, quam necessitate aliquando id efflagitante, ut solertem, peritum, promptum contra vim externam propulsandam militem habere

habere possimus. Id est quod Philosoph. 7. Polit. 8. ait *qui reip. praesunt, hos armis, tum ad tuendum imperium, ut id detrectantes coërceantur, tum ad vim, si quis injuriam extrinsecus inferre conetur, propulsandam, instructos esse necesse est.* Sed unde tunc miles tam subito, nisi ante sit in promptu? Nam ex plebis fece aliorumque operariorum multitudine militaris laboris insueta eligi vix poterit. Nec exteris semper uti consultum est, quibus neque boni intellectus, nec mali cura Tacit. 6. Annal. & à quibus timendum, ne majori ex diverso mercede illecti jus fasque exuant, & omnia tanquam urbes hostium urant, vastent, rapiant. Vtilitas ergo publica omnino exigere videtur, juventutem civitatis ad arma tractanda & opera gerenda assidue conducere, & ne otio & torpore senescat in perpetuo exercitio etiam pacis tempore retineri. Idque inculcant omnes fere Politici, & praeteris egregie hoc argumentum profecutus est Lipsius *lib. 5. civil. doct. cap. 13.* Huic adde Philosoph. nostrum 6. Polit. 7. ubi ita ait: *Verum cum civium multitudine, partim in seniores, partim in juniores sit distribuenda: faciendum id erit, ut ipsorum liberi adhuc adolescentes discant haec leviter & expedita munera, & ut postquam ex ophelis excefferint, ea ipsa munera subeant.* Igitur ut ad dictum finem ij cives bene exercitati reddantur, & praelio recte committi possint, necessario ipsis praeficiendus est dux aliquis, siquidem recte sentit Curt. *lib. 10. militarem sine duce turbam, esse corpus sine spiritu.* Quo in duce ut paucis omnia complectamur, quatuor cum Cic. *pro lege Manil.* requirimus. *scientiam nimirum rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem.* Verum hic oppido videndum, ne armata multitudo in ipsam remp. insurgere aut novi quid machinari possit. Cum enim nullum fere animal in tractabilibus sit praefereone plebes utile & consultissimum est, subditis ad seditionem pronis intem-

in tempore adimere arma, commoda alias instrumenta plebejæ valaniæ. Sic Carolus V. Imperator cum 70. & amplius rusticorum millia, qui adversus dominos sumtis armis insurrexerant fudisset, severa lege interdixit; ne agricolarum quispiam deinceps domi arma haberet; imo ne quis ijs, qui Cæseris nomine ac stipendio non militarent vendere aut fabricare genus ullum armorum auderet. vid. Ioan. Sleid. *comm. de Stat. Relig. & Reip. lib. 4. seq.*

XL.

Is (3) ut alia possit, census describendi & *Causa 3.* collationes, sed æqualiter.

Inter ea sine quibus civitas vix consistere potest, pecuniarum copia quædam *ad usus & civiles & militares desideratur* Arist. 7. *Polit. 8.* Quæ pecuniarum copia omnino ærarium in civitate habendum esse designat. Et quidem duplici de causa, tum quod civitas in dies multos infumere teneantur sumptus in conservandis, & renovandis publicis ædificijs, puta ara, schola, curia, tum belli tempore ad conscribendos, & ad conscriptos alendos & sustentandos milites. Hanc duplicem causam etiam innuit Vernul. *lib. 3. Instit. Polit. tit. 6. q. 1. ut dives iniquis in rep. sit ærarium danda est opera: illud publica necessitas tum bellorum gerendorum, tum procurandorum pacis ornamentorum exigat.* Nec enim frustra olim à Dione in Vespasiano dictum jam in provercium abiit *nervos belli pecuniam esse, & ærarium nervos reip.* Flor. *lib. 3. c. 13.* appellat. Quemadmodum enim sine nervis homines ambulare haud possunt, sic nec imperia stare, nec bella procedere sine opibus posse rectissime asseri putamus. Zevecotius quidem putat *dict. opusc. 22.* Carolum V. remos belli pecuniam, commeatus, & milites esse, non inepte dixisse, dum adjecerit, si quo carendum esset,

esset, solum se veteranum militem electurum, cujus industria & fortitudine & comeatum & pecuniam hosti se extorserum speraret. Cum quo consentit Machiavell. *lib. 2. dise. in Liv. 10.* pronuncians, contra communem opinionem, non pecuniam sed militum virtutem esse nervum belli. Neque aurum sufficere ad strenuos milites comparandos, sed per hos aurum & argentum comparari posse. Verum hoc Machiavelli dogma insulsum vocat Waremundus de Erenberg. *meditam. pro sœder. c. 2. n. 152.* & ut nobis quidem videtur nunquam potietur Resp. aliqua militibus strenuis, nec alet honeste, si pecunia non sit abunde instructa. Et quamvis Carolus V. dixerit se hosti ope & fortitudine militis strenui pecuniam facile extorquere posse, veremur tamen, ne multum hoc fallat. Quid enim si hostis ipse parum possideat aut regiones exterarum jam tum sint devastatae, & nihil supersit, quam ut nudo subtrahantur vestimenta? Ad ærarium igitur recurrendum, miles ut conscribatur, alatur & stipendia capiat. Ast unde nobis ærarium? Ærarium triplex olim Romæ observatum fuit. *Unum* in quo civium tributa, ac sociorum vectigalia, & prædæ Imperatorum condebantur, quo sumptus bellorum ordinarij sustinebantur. *Alterum* sanctius ærarium, in quo aurum vicefimarum, ex vicefima manumissorum collectum ad ultimos casus servabatur. *Tertium* sanctius Gallicum, in quo pecunia Gallici belli causa reponebatur. Horum meminit Stadius *add. l. Flor.* Posteriores ærarij species parum ad nos: sed præsertim prima, quæ ex tributis, censu, & collationibus construitur. Ad cujus constructionem exigenda erunt tributa, indicenda collationes, describendi census, sed æqualiter. Notanter dicimus *æqualiter*: huc ex parte spectare videntur, quæ ex Arist. *5. Polit. 8.* elici possunt: legitimam videlicet & æquabilem

bilem esse debere census descriptionem, adeoque pro conditione rerum & temporum, eam vel intendendam vel remittendam. Nam si ubertase. g. vel victoria. indeque præda reip. contingat, contributiones etiam utique augendæ erunt, sin minus, pro rata imminuendæ. Alias enim cum in Oligarchijs magistratus legantur ex censu, fieri facile potest ut ditescant pluribus in Democratia aut Politia, plures etiam fiant participes istius census, & sic Oligarchia mutetur in Politiam aut Democratiam. Contra vero calamitate quadam oborta, cum imminuantur opes, & sic census, Politia & Democratia abeat in Oligarchiam. Sic videmus præceptum hoc neglectum nocere omni reip. formæ, præsertim autem statui populari & paucorum. Vide Arist. *cit. loc. ibique* Piccart. In indictione autem & exactio-
ne tributorum vel necessariorum, cavendum omnino, ut invidia leniatur, quo omnis seditio vitetur. Conducet igitur maxime si subditi videant tributa solummodo exigi ad usus belli, & magistratum custodem eorum esse, ut publicæ pecuniæ non ut suæ. Septem adhuc alias leniendæ invidiæ aptas cautiones legere licet apud Forstn. *ad Tacit. lib. 4. Annal.*

XLI.

(5) Fœdera incunda cum aliis rebus- *Cautio 5.*
publicis.

Ab externa vitertiæ alicujus potentioris reip. saepe numero imbecillior quædam forma se sola defendere nequit, nisi alterius cujusdam vicinæ ope subnixæ sit. Cautio igitur haud postrema est in tempore cum rep. alia fœdus pangere. Quod definiiri potest *duarum aut plurium rerum publ. de mutuis auxiliis ferendis, aut pace & amicitia aut societate incunda conventio*, Finis fœderum non alius est, quam

ut altera ab alterius reip. offensione minus ausit timere. Ab hoc fine foederum Politici solent constituere tria genera cum Menippo apud Liv. lib. 34. c. 56. Vnum cum nunquam hostes fuerunt, ad amicitiam sociali vinculo inter se jungendam coeunt. *Secundum*, cum bello fessi positis armis in pacem & amicitiam veniunt, uti olim Romani & Albani. *Tertium* quod cum bello victis initur quibus à victore leges dicantur. Verum nobis de primo potissimum genere hic sermo erit. Ejusmodi autem foedera sunt vel perpetua, vel ad tempus certum tantum inita. Deinde alia ad defensionem alia ad offensionem simul & defensionem contracta. Praecipue autem hic agimus de illis, quibus altera civitas alterius fidem devincit, ut tuta esse possit à tertiæ cujusdam reip., & sic tantum ad sui defensionem. *Cum enim qualibet Resp. vel amulos habeat, vel inimicos, ac utcumque potens sit, omnibus hisce simul, tempore quo, resistere non queat, foederatis ideò, carere vix illum imperium potest, pariter ut injucunda est vita privata, amicorum subsidio destituta, quemadmodum Besoldus in Synops doct. Pol. lib. 2. c. 11, differit. Foedera igitur illo potissimum tempore ineunda sunt, quando civibus minus potentibus, belli à potentiorebus inferendi imminet periculum. Id quod Arist. rectores rerump. attendere jubet in Rhetor. ad Alexand. 2. additam. c. ultim. quod in quibusdam editionibus non reperitur. Necessè est, inquit, socios faciamus, cum civis minus ex se potentes sunt, qui rum solum, aut oppida tueantur, aut hostibus repugnent. Et in ipsis Rhetor. ad Alexand. c. 3. Socij vero pro ea temporum sunt conditione faciendi, cum aliqui suis viribus infirmi sunt, aut bellum aliquod videatur impendere, aut eo cum aliquibus ineunda societas, quod bello quosdam à se defecturos putent. Defensiones igitur potissimum causa foedus ineundum, quod foedus Gallico vocabulo alliance expriment*

2

munt. In ejusmodi autem foederibus ineundis Phisoph. *cir. loc.* aliquot requisita notanda monet. *Est enim inquit societas omittenda, cum aut eam facere non sit opus, aut socij longe à nobis distent, neque potentes sint, qui oportune ad sint.* Cautio igitur (1) est ut foedus contrahatur, non nisi quando opus. Conventio enim est foedus, sed quis alij se velit adstringere nisi necessitate aut ob utilitatem hoc fecerit? quæ tali casu desideratur. (2) ut cum eo qui non sit adeo diffitus, ut socio suppetias ferre nequeat. Quale enim subsidium, qualis defensio ab eo expectanda, qui intervallo loci aut alia difficultate plane excludatur? Remotum autem non appellamus illum, qui longo itinere à nobis abest, sed illum, qui non facile se nobis conjungere potest, (3) Vt cum potente viribusque valente. Enimvero cum ijs foedera mire, qui plane aut nullis aut exiguis viribus sunt instructi, id non modo periculosum esset, verum etiam insulsum. Inutilis enim societas eorum, qui nobis nec in bello amici prodesse, nec inimici nocere possunt. Huc spectavit Aristot. *d. l.* praesertim quando ait. *Civis autem bonus est, qui amicos civitati utilissimos parat. Nec aliud est* (dicente Vernul. *Instit. Polit. lib. 2. tit. 20. q. 3.) miseris se adjungere, quam cum miseris velle perire, & qui miseris aut infirmis sese jungunt, ut Lucan. lib. 8. canit. Querunt cum qua gente cadant.* In caducum igitur parietem ne inclines, i. e. imbecillioribus te non jungas. Potentes autem hic sunt, qui opibus, & nummis, & operis, imo & virtute juvare possunt, Vid. Warem. *de Erenb. d. tract. c. 2. n. 233.* His igitur quia juvare amici aut inimici nocere possunt adharendum. *An igitur consultum foedera pangere cum longe superioribus?* Nequaquam. In foedere enim inæquali solet accidere plerumque, ut qui superior est, si is potentia multum antecellat, paulatim imperium proprie dictum usurpet.

per. Grot. de Iur. bell. & Pac. lib. 1. c. 3. n. 21. ubi ait Latinos ita conquestos, quod sub umbra fœderis Romani servitutem pate-
rentur. Ex hac iterum sane: non levis oritur quæstio, si dua
vicina resp. bella inter se gerant, utrum superiori, an vero viri-
bus inferiori se adungere præset. Tutius in hoc calu est, si ter-
tia resp. se adjungat operamque navet imbelliori, ut illa
potentiâ superiori exæquetur. Sic enim fiet, ut quando se
vident in æquilibrio damni constitutas, belli pertasæ ad
alia descendant inter se conveniendi remedia, uti annota-
vit Piccart, comm. ad lib. 5. Polit. c. 8. Arist. Inferiori viribus
se adjungendo potentioris cursum tardarunt Veneti hac
nostra ætate, uti hoc remedio adversus Hispanos & Gallos.
Tutissimum forte quis dixerit esse extra periculum vivere,
& sic neutri se ad sociare. Verum diversum suadere videtur
metus, ne si tertia jungat se potentiori, aut si quiescat,
imbecilliori demum superato, tandem & de suo laudatur
corio, atque potentioris prædæ cedat.

XLII.

Specialis.

De generali ratione status hæc sufficiant.
Iam de peculiari seu speciali, quæ specialiter in
singulis rerum public. formis respicienda venit.

Specialem hanc nobis dici patet ex oppositione ge-
neralis, quam *supr. concl. 13.* descripsimus, quod in genere
omnes aut plures resp. tam bonas, quam aberrantes con-
servare, easque è lapsu salvas præstare intendat. Cautiones
enim quas superius adduximus, si non omnes omnibus
rerum. formis tamen pluribus, licet uni atque alteri,
magis, competunt. Nec tamen inficiamur in subsequen-
tibus ejusmodi monita datum iri, quæ non uni tantum
reip. formæ, sed & duabus aut pluribus adhiberi possint,
ideoque sub generali tractari potuissent. Verum Philoso-
phum

phum potissimum & alios secuti Politicos, malimus de iis agere sub ea præsertim forma, sub qua ab illis sunt redacta, monituri nihilominus quod etiam in aliis statibus adhiberi & tuto observari non negent.

XLIII.

Quæ cum sint vel rectæ vel aberrantes: hinc & rationem status ita dispescimus, quod alia conveniat statui recto, alia aberranti.

Vel rectarum vel aberrantium Rerump.

Cum enim ut Philosoph. sæpius inculcat, resp. in specie respiciant utilitatem vel subditorum communem vel solorum dominantium; prior autem & potior imo sola optima ratio sit omnium communis, hinc ex fine isto dividuntur; ut illæ sint rectæ, hæ vero aberrantes. Jam finis iste, seu utilitas consistit in sola conservatione, sive forma ista recta sit seu bona, sive aberrans seu imperfecta. Cum autem salus conservetur aliter in veris, aliter in aberrantibus, hinc dicimus, aliam *rationem status* observandam esse in perfectis, aliam in imperfectis rerump. formis.

XLIV.

Illæ ut rite procedat certis cancellis & limitibus sit adstricta necesse est, qui imprimis quatuor.

*illa adstric-
ta limitibus 4.*

Dicuntur hæc quando Principes Reip. sive Regni, sive Aristocratia sive Politia per honesta licitaque media ultimæ subditorum finem i. e. salutem & egregium publicum quærunt. Et certe malitiose indistincte calumniantur *rationem status*, qui omnis malitia eam patronam, omnis injustitia, iniquitatis, fraudum, imo vitiorum omnium mangonium appellant, quasi illam obtendendo soli tyranni subditis glaucoma objiciant, ut licet leges & justitia expresse violentur, ii tamen hoc non videant. Namque ut rectissime inquit Ampliss. Dn. Præses, *nihil in voce rationis status læsæ*

culpa:

K

culpa: quod vero hujus praetextu flagitia dominationis exercentur, extra vocis innociam est significationem. Verum ut ratio status saltim earum rerum publicarum, quæ jure & æquo non autem mera vi nituntur, non per analogiam tantum quandam dici mereatur, necessum esse arbitramur, ut certis limitibus & carceribus sit circumscripta, quo tendere & intra quos decurrere, nec latius evagari debet, ut Hippolythus à Lapide in prolegom. sect. 3. loquitur. Hos ni fallimur limites servandos in compendium redegit Seneca Tragicus in Thyest. Act. 2. vers. 214.

Ubi non est pudor

Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides

In stabile Regnum est.

Eorumque ex parte meminuit quoque Clapmar. lib. 1. c. 6. quando ait, sunt vero limites simulandi, quos egredi impune non licet: fides, honestas, virtus: quorum qui obliviscitur, non amplius prudentis, aut politici nomen mereatur, sed vafri, astuti, ac nefarii hominis. Et lib. 4. c. 21. ubi de juribus dominandi loquitur, veruntamen, ait, habet hæc majestas terminos suos, ut sunt religio, pudor, fides. Idem lib. 4. c. 4. Quare ait duo sepimenta sive terminos huic juri sc. dominationis statuo. Divinum Numen, sive religionem, & fidem, sive pudorem. Quæ si integra manent nihil prohibet, nonnunquam à communi jure recedere, pacis ac quietis causa. Hunc secuti sunt Hippolythus à Lapide & Bœclerus qui easdem fere rationi status metas & carceres definiunt. Et quidem illi ratio status ab altera parte juri divino, pietati & religioni, ab altera fidei, justitiæ, ac naturali honestati inclusa est. Quæ nos haud incommode ad quatuor requisita revocari posse censemus, ita ut religio sive pietas jus divinum complectatur. Quanquam nec id velimus diffiteri, non adeo exacte quatuor hæc à sese mutuo distingvi, sed & posse uno communi virtutis, aut justitiæ, aut honestatis nomine comprehendi. Hos cæ limites vero si excedat:

cedat *ratio status*, in justis quidem civitatibus non amplius isto nomine, sed revera digna videbitur, quæ monstrum aliquod & mantellum diaboli vocetur. Hinc Boterum in peculiari suo tractatu, Scipionem Amiratam & Andream Canonherium *disc. ad Tacit.* laudat Suth. *dissert. 1. lib. 65.* quod prudenter monuerint, *ita conformandam rationem status, ne quid fiat contra jus divinum & religionem, ne manifesto viole- tur honestas & equitas, seu quod inferatur damnum majus sit utilitate, quæ inde speratur.* Terminos autem hosce sive *ratio- nis status* limites quando in reip. formis rectis requirimus, non ea nobis mens est, quasi in imperfectis *ratio status* eos plane excludere aut transgredi ausit. Quin tantum abest, ut eas imperandi formas hosce limites penitus excedere statuamus, ut potius supra *concl. 11* eas haud omnes injustas esse asseruerimus. Quo posito in iis quoque imperantes hisce limitibus adstrictos esse indubitato affirmamus. Hi limites vero eo magis observantur, quo resp. illæ vel regie, & paterne administrantur. Quemadmodum autem non omnes nec simpliciter justas dicimus, sic etiam non negamus in iis formis sophismata, ceu etiam à Philosoph. *5. Polit. cap. 11.* tyrannis usitata memorantur dari, quæ pessima, & abominanda certe sunt. Ideoque dum adhibentur velamine *rationis status* obtegi non possunt, aut si tali mantello eos quis oblevare præsumat, is certe dignus demum nomine, quali hodie, sed inique Politici insigniuntur.

XLV.

Primus igitur & præcipuus limitum est religio *Limes 1.*
sive pietas. *religio.*

Religionem & pietatem basin & fundamentum omnis regiminis nostro sane judicio quis rectissime dixerit: *Pietate enim sublata, fides etiam & societas humani generis & una excellentissima virtus justitia tollitur,* inquit Cic. *1. de Nar.*

Deor. Hinc Aristoteles ipse gentilis non uno sane in loco in-
culcat reip. sine religione consistere non posse. Sic 7. *Polit.*
s. rerum divinarum procuracionem quam ibidem *sacerdotium*
nominat, refert in eorum numerum, quæ summe necessaria
sunt civitati, adeoque cunctis præferenda. Et religionum
reip. partem esse talem, sine qua illa consistere nequeat, re-
petit eod. lib. c. 9. fere in fin. Platonem quoque eam *potestatis*
ac legum & honesta disciplina vinculum, Plutarchum autem
coagulum omnis societatis & fundamentum legislationis vocas-
se testatur Grot. de jur. bell. & Pac. lib. 2. c. 20. n. 44. Certe,
utrinque religio hoc præstat, ut si non firmamentum saltim
fulcrum nominari mereatur. Sine ea enim nec imperantes
officium suum, nec subditi facient: ideoque sine ea nec so-
cietas erit. Tolle pietatem & religionem, nec justitiam nec
virtutem ullam reliquam facies; Sed fraus, licentia, proter-
via, & confusio dominabitur. Crudelitas, desperatio omnem
metum excludent, omne peccatum & periculum flocci pen-
dent. Nulla autem res magis animos & mores componit
quam religio, in imperante enim si eam consideres, amorem
provocat & venerationem erga ipsos principes: nec facile
exteri aut subditi lædent cui Numen amicum & propitium arbi-
trantur, ait Lipsi. in monit. *Polit.* lib. 1. c. 2. *Felices Reges si suam*
potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum majestati ejus
famulum faciunt, dicit Augustinus de *Civ. Dei* s. c. 14. quem
citatur Grotius de *Imp. summ. potest. circa sac. c. 1.* Et Livius lib. 5.
omnia ait prospera colentibus Deos, adversa spernentibus. De-
inde etiam subditos meliores reddit. Hinc Cyrus dixit sub-
ditos hoc sibi addictiores fore quo Dei essent meruentiores, Xe-
noph. *Cyr. Inst.* lib. 8. Maximum ergo reip. vinculum & fir-
mamentum est religio. Huc scitissime quadrat, quando
Excellent. Dn. Præses d. tract. c. 2. inquit: *Optimos quosque*
legumlatores, non apud Judæos, nec apud Barbaros tantum,
quos ita olim appellabant, sed & apud Græcos ipsos, Zaleucum,
Lycur-

2
Lycurgum, Minoem, Theseum, ut & apud Romanos Numam, religionem pro fundamento habuisse suarum legum. Itaq; quamvis omnibus alijs juribus ratio status sit præstantior, omni tamen ut religioni adeoq; juri divino sit inferior eique cedat, est necessarium. In quam sententiam scribit Clapmar. lib. 4. de arcan. rerump. c. 21. Hæc, ait, dominandi jura, tantum abest, ut religionem depravent, vel pietati adversentur, ut potius ei inserviant. Neque mehercule juris nomine dignum est, quod divinæ legi, aut religioni contrarium. Et ut paucis absolvamus, quotiescunque ratio status religionis terminos excedit, eam non amplius rationem status sed impiam fraudandæ rationem appellandam statuimus, quicquid etiam ogganniant statistæ, illi Numinis & honesti omni contentiores, quos solide perstrinxit Ampl. Dn. Præses dict. loc.

XLVI.

Alter est fides.

2. fides.

Qui fidem impune frangendam autumant, honestatis limites impune transgrediendos persuadent, dummodo dominationi suæ consulant, cum his minime faciendum putamus. Dicunt quicquid utile idem & honestum est judicandum, & sufficit quod *singulorum injuria utilitate publica rependantur*, ut Tacit. 1. *Annal.* loquitur. Iisdem solito more ad stipulari non veretur Machiavellus *Comm. lib. 2. c. 13. & 18. de Princip.* dum ibi præceptum tradit, Principem, qui opes suas augere & imperij fines prorogare velit artem fallendi ediscere oportere, sed satis hoc nomine refutatur ab Antimachiavello anonymo *Comm. lib. 3. de Politia Theorem. 18.* Et quid mirum? injustitiæ isti satellites eo procedunt, ut referente Radévico *incontinuat. Otton. Frising. de reb. gest. FridERICI I. l. 8. c. 29.* profiteri non erubescant: *juravimus quidem, sed juramentum attendere non promisimus.* Quasi interfit quicquam inter animum obligandi & promittendi, aut quasi fides ostentanda solum, non etiam servanda sit. Enim vero,

K 3

famae

fama ac fidei damna majora esse quam qua estimari possint, sanctissime dixit Livius lib. 3. in fin. Quippe fidem semel datam qui frangit, si non aliud hoc solum lucratur, ut vel juranti fides non amplius habeatur, nec data fides servetur. Frustra deinde fides, ubi nulla fides reciproca. Ideoque cum eo nec foedus nec ulla conventio esse potest, quia fide non terminatur. *Rationi status* semper proposita est utilitas reip. quæ in conservatione ejusdem consistit, sed medius fidius imbecilla talis utilitas, quæ fide non servata fidem non servari meretur. De fide rectissime judicat Cic. quando *nemo est*, inquit, qui non hanc affectionem animi probeat, atque laudet, qua non modo utilis nulla queritur sed contra utilitatem etiam conservatur fides, lib. 5. de finib. Imo fides quando promittitur etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur Augustinus Epist. 105. ad Bonif. Ratio, quia hostes qui sunt, homines esse non desunt. At homines omnes qui ad rationis usum pervenerunt capaces sunt juris ex promisso, ut concludit Grot. de jur. bell. & Pac. lib. 3. c. 19. n. 1. Sic cum Romana à Porfena esset obsessa, & pax jam coisset, datis utriusque sexus obsidibus firmata esset, virgines duce Clœlia transmissis Tiberi hostibus se erupuerunt, & Romanis suis se restituerunt. Perfidia magistri hic excusationem prætereundere potuissent, à sexu item custoditum posse fallere custodes. Sed fides vere prisca in Senatu prevaluit, ideoque obsides remittendos censuit, Vid. Lips. in monuit. Polit. lib. 2. c. 13. Hinc ergo sequitur si hosti E. multo magis & socijs imo omnibus hominibus fidem in quibuscunque esse servandam. Ideoque censemus *rationem status* jure talem appellari non posse, nisi, quæ fide nitatur. Adde Amplif. Dn. Praesidem cit. loc.

XLVII.

pudor 3. Tertius limes est pudor, vel honestas naturalis. Honestatem seu honestum hic non appellamus id, quod honore dignum, sed magis quod ex hisce duobus proficiscitur

2
ficiscitur sc. ex rectitudine rationis & voluntatis, uti sumit
D. Thom., 1. secunde q. 39. art. 2. Ad quam rationis rectitu-
dinem si examinetur honestum facile liquebit, omne hone-
stum esse quidem utile, sed non omne utile honestum; Et pu-
dor hic non tam hominum & famæ, quam æqui & boni,
aut certe ejus quod æquius meliusque est respectum signifi-
cat, uti sumitur etiam Grot., 4. tract. lib. 3. c. 10. n. 1. Sic etiam
Pyrrho dicenti

Lex nulla capto parcit, aut penam impedit
regerit Agamemnon

Quod non verat lex, hoc verat fieri pudor

Apud Senec. in Troadib. *Quam angusta enim innocentia est
ad legem bonum esse? Quanto latius officiorum patet quam juris
regula? Seneca lib. 1. de ira c. 27.* Sic multa quidem utilia,
nec legibus etiam verita, quæ tamen admittere prohibet
decorum. Cum P. Claudius Camarinos ductu atque auspiciis suis
captos sub hasta vendidisset, et si ararium pecunia, fines agris
auctos animadverterebat, tamen quia parum liquida fide id gestum
ab Imperatore videbatur, maxima cura conquisitos redemit &
prædia iis restituit populus Romanus, licet ejus nulla sub fue-
rit culpa. Valer. Maxim. lib. 6. c. 5. add. Grot. cit. loc. n. 6.
Sic Fabricius consul Romanus Pyrrhum Regem inimicissi-
mum mœnibus appropinquantem, cui transfuga quidam
venenum pararat monuit, à veneno ut caveret. Qua de
re & alias ita dicit Cic. *que quidem omnia & innumerabilia præ-
tere ea, quis est, qui non intelligat & eos qui fecerint, dignitatis
splendore ductos immemores fuisse utilitatum suarum, nosq. cum
ea laudemus nulla alia re nisi honestate ducit? de finib. item quis
tam dissimilis homini, qui non moveatur & offensione turperudi-
nis, & comprobatione honestatis? ibid.* Hinc Pyrrhus de hoc
Fabricio dixisse fertur: *ille est Fabricius, qui difficilius ab ho-
nestate, quem sol à cursu suo averti potest.* Eutrop. l. 2. Breviar.
Hist. Roman. Laudanda igitur ratio status, quæ nullo lucro,
com.

commodo, utilitate, se ab honestate, pudore, decore, ab
duci patitur.

XLIX.

4. *Justitia*

Ultimus est justitia.

Hæc una & unica est quæ rationem status dirigere sola
potest, & reliquos limites aut solum fidem, pudorem &
honestatem suo ambitu complectitur. *Justitiam* namque
virtutem esse dicimus ad societatem aptam, quam necesse sit con-
sequi alias omnes. Philosoph. 3. *Polit. c. 8. Ad societatem*
aptam dicit, quod D. Thom. *sociabilem*, item *maxime salva-*
riam civitatis reddidit, quem vid. in *Explan. Polit. Arist.*
lib. 3. lect. 11. *Apta* est societati, imo *necessaria*, quippe si-
ne *justitia* ulla *societas* ne quidem *latronum* consistere
potest. *Consistit* autem *justitia* potissimum in eo, ne cui
quis noceat, alterique suum tribuit. Hæc autem obser-
vanda non tantum adversus partes aut majores, sed & ad-
versus inferiores. *Meminerimus etiam adversus infimos ju-*
stitiam esse servandam, inquit *Tullius 1. offic.* Verum de
hac jam tum quædam dicta sunt, eamque reip. necessariam
non solum *Arist. dict. loc.* asserit, sed ne quidem ullus dubi-
tat, nec soli quærendo facem accendere opus. Hoc dun-
taxat monuisse sufficiat, sub specie *justitiæ*, ne quid fraudis
admittatur. *Totius enim injustitiæ nulla capitalior est, quam*
eorum qui cum maxime fallunt id agunt, ut viri boni esse vi-
deantur, ita concludi tractatum de *justitia* *Cic. adduct. loc.*
Hæc de limitibus. Non abs re hic quæritur. *Anne interdum*
fines hosc honestatis fidei aut justitiæ transgredi liceat? Paucis
indubitato statuimus, contra *ius divinum & religionem*,
cui merito primas concedimus, ob publicam utilitatem ne
tantillum quidem admittere licere. Nec diffitemur illos
qui hoc præsertim seculo eo vesaniæ procedunt, ut non
modo honestatis, *justitiæ*, & *fidei*, sed & *divini juris* limi-
tes excedere licere asserant, non tantum peccate, sed ex
societate

2

societate civili eiciendos esse. Iuri enim divino qui quicumque detrahendum autumant, non possunt non statuere hominis utilitatem divinæ voluntati prævalere. Hunc errorem nefario modo errant Turcici Imperatores, qui quoniam Imperij æmulos ferre non possunt, fratrum sanguine à parricidio regnum auspicantur, quasi ob bonum publicum & regni incrementum & multorum millium salutem hoc faciant. Vid. Busbequium *Epist. 1. p. 55.* Egregia sane salus & utilitas multorum millium, quæ simul jus & divinum & naturale, imo naturam ipsam, quæ omnis societatis causa, subvertit. Hujus generis plura enarrabuntur sub *ratione status Tyrannidis*, sed quæ injustissima & abominanda. Eodem modo nec reliquas virtutes vel limites hic positos simpliciter integrum est transgredi. Interim tamen utilitas nec publica nec privata admittit, ut illi exacte semper attendatur. Sic cum nec quæ scias nec quæ velis omnia aperire aliis tenearis, sequitur, ut dissimulare quædam apud quosdam i. e. tegere & occultare fas sit. Grot. de *Jur. bell. & Pac. lib. 3. c. 1. n. 7. licet veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione*, inquit Augustin. *lib. contra mend. c. 10.* Et Cicero non uno in loco ipse fateretur, dissimulationem his præsertim, quibus resp. commissa est necessariam & inevitabilem esse. Ideoque omnem dolum non simpliciter possumus dicere injustum. Quis culpaverit Abrahamum quod matrimonium dissimulans Saram sororem dixerit *Genes. 20.* Deinde etiam cum in civili societate unusquisque civium bona sua obstrinxerit commodo publico, nemo certe vitio vertet, si necessitate cogente reip. causa quis possessione & bonis exuatur, quod tamen absolute consideratum foret injustissimum. Ita videntur quædam honesta, quæ honesta non sunt: multa quæ natura honesta videntur esse, temporibus fiunt non honesta, sepe tempore fit, ut quod plerumque turpe haberi soleas inveniat non esse turpe. Cic. 3. *offic.* Sic salus & utilitas publica, cujus

L omnino

omnino potior, quam privatorum habenda ratio dicat, id quod alias iniquissimum necessitate exigente esse æquitati convenientissimum. Nec lex quoque ulla adeo rigide interpretanda erit, ut ratione utilitatis publicæ exceptionem non admittat. Hinc spectat quando Besold. *differ. de Arcan. Rerump. lib. 4. Ratio Politica*, ait, *quam nunc vocant de statu (olim aquitas & iustitia) transgreditur legis, scripto vel voce promulgata literam, sed non sensum & finem. Quoniam non nisi propter melius bonum & commune, abrogat, irritat, interpretatur & dispensat.* Lex est tuo arbitrio neminem occidit. Publius Scipio Pontifex Maximus, Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem statum reip. privatim interfecit, idque indicta causa, illud utique impune non tulisset, imo nec insuper laudatus fuisset, nisi cades hæc cum majore reip. emolumento conjuncta. Vid. Cic. *Caril. 1.* Sed quis hæc simpliciter injusta appellare velit? Plura quidem vel innumera addi possent, verum haud opus, Conferatur omnino. Ampliff. Dn. Præses adducet. cap. 2.

XLIX.

Et quidem locum habet (1) in regno, ubi unum peculiare conservationis monitum, ut mediocris seu moderata sit regum potestas.

Et 1. quidem obtinet in regno.

Quemadmodum arcus cum nimium intenditur, frangitur, sic & regia potestas cum nimium attrahitur, durabilis non est. Contra uti arcus inutilis est si laxatur & nimium remittitur, ita & arcus regiae potestatis parum proficiuus erit si nimium remittatur. Nam regnum illud everti indubium est, in quo regi liceat quodlibet, contra vero illud stabile esse & durable, in quo regi libet quod licet. Ideoque non infinita, sed definita regna stabilia sunt potestate. Ut videas haud frustra olim pronunciatum: *medio tutissimè ibis.* Quippe uti nobile hoc medium neglectum in omnibus nocet, ita in regia.

regia potestate vel nimis rigide usurpanda vel relaxanda omnino attendi meretur. Hinc dicimus regna diuturniora esse quo sunt moderatiora: *alia autem sunt in quibus modum potestati sua signi ipsi reges: neque ut in tyrannide, omnia pro voluntate agunt & libidine, sed ut quantum possunt legibus relinquant*, verba sunt Heinſii paraphraſtæ in *Ariſt. 5. Polit. 11.* Idque è Philoſopho *ibid.* duabus rationibus totidemque exemplis declaratur. Rationum prima petita eſt à rege, à ſubditis altera. Nam quo minus ſunt potentes, hoc etiam ſunt modeſtiores, minusque inſolentes, & in cives injurioſi: & ſic etiam longiore tempore eorum imperium conſiſtere neceſſe eſt. Cum alias nimia eorum licentia facile in magnum evadere poſſit malum. Sic non alia fuit cauſa, quod regnum Molofforum tot annos ſteterit, niſi quod temperata regum fuerit autoritas, regnumque certis legibus tanquam limitibus circumſcriptum & definitum, quos regem transgredi fas non erat. Sulpitius Galba Imperator quamdiu moderate imperabat, ab omnibus amabatur, animisque militum quantulacunq; vel parci ſenis liberalitate conciliare poterat, verum cum nimia ſeveritate uti, ac heriliter nimis regere inciperet, atque tempore quodam quaſi ſibi omnia licerent intempeſtively pronunciarer, & vita & imperio, excidit, ut eſt apud Tacit. *1. Hiſt.* & Sueton. *in ejus vita c. 16. & 19.* Sic arrogata immoderata poteſtas Galbam peſſum dedit. Hinc Ariſt. *add. loc.* Imperantes quo pauciorum, concludit, *verum ſunt domini, eo longiore tempore conſiſtere neceſſe eſt omne imperium.* Ergone convenit reges non eſſe ſolutos legibus? Qualis illa ſumma poteſtas quæ ſit penes unum illum, ſed legibus tamen adſtrictum? Certe hæc eſſet ſumma poteſtas, & non ſumma, non ſine implicatione contradictionis. Verum non ea eſt ſententia, ac ſi rex, præſertim in *παρβαſιλεία*, legibus civilibus debeat ſubjici; quippe quoad vim coactivam hiſce ſubjectum eſſe nequit, ſed ut

supra dictum, quod ipse suæ potestati modum figere debeat, imitans Theodos. & Valent. Imp. in l. 4. C. de legib. qui digna vox, inquit, majestate regnantis legibus alligatum se principem profiteri. Ad ea de auctoritate juris nostra pendet auctoritas, & revera majus imperio est, submittere legibus principatum. Et præsertim ea quæ honestas jubet, attendet rex, qui vere quam in speciem appellari mavult. Nec (enim) tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,

Occurrant, mentemque domet respectus honesti.

dixerat Claudian. ad Theod. Sic futurum est, ut, in quo rex differt à tyranno, subditos habeat obsequentiores, regnumque sit magis & maneat stabilitum, quam si potentiam nacti regiam dignitatem insolenter agant, (junge Arist. 5. Polit. 10.) quod à ratione status regii plane alienum. Nam ut habet altera ratio ab Arist. cit. loc. subjuncta, cum ipsi minus herili imperio agunt & moribus magis sunt pares tum minus iis qui parent sunt invidiosi. Equiori enim animo imperium superioris ferent subditi, si se quoque minus teruiliter haberi, imperii que capescendi interdum participes fieri, aut ad publicam curam vocari sentiant. Præsertim autem si eorum gratia regnum ita sit ordinatum, ne quis tyrannidem facile exercere possit. Sic Lacedæmoniorum regnum vel ideo durable fuit, quod duo in eo imperitarint reges, ut si unus tyrannice maleque præfset, alter eum pari gaudens potestate coërceret, indeque perpetua in hoc regno obtinuit successio, instituta à primis ejus conditoribus Eurysthene ac Procle germanis fratribus. Sed Cleomenes hanc legem sustulisse fertur, ideoq; & regum ultimus fuit & regnum sublata hac lege semel recepta perdidit. Theopompus autem de quo monuimus concl. 15. Ephoros primus instituit, ut regios istos & altos spiritus nonnihil supprimeret, quorum Ephororum tanta progressu temporis cepit esse potestas, ut vel reges ipsos superarent: quod tamen augmentum undequaque ex
usa

2
usu reip. non erat. Eodem modo in rep. olim Romana nimia Consulium potestati Tribunitiam potestatem objectam fuisse legimus. Quis negabit Imperium Romano Germanicum pari modo stabilitum esse, quod tanquam Ephoros habeat Electores septem viros, qui Imperatori diadema prius non deferunt, quam in Capitulationem (ut vocant) iuraverit, qua ne nimia ipsius sit potentia, cavent, eumq; certis legibus adstringunt. Plura conservandi regni monita & cautiones peti possunt monente Aristot. *dist. loc.* à contrariis, & partim etiam desumi possunt ex Tyrannide, quæ etiam nisi regie administratur, non semper conservari potest. Vid. *infra concl. 55.*

L.

(2) Est Aristocratia: ubi præceptum (1) adversus populum observandum, ut iusta sit optimarum potestas, populumq; ab injuria quidem defendatur, nullum vero ei imperium committatur (2) adversus unius imperium & alias semper, ut concordia & æqualitas aristocratiam regat.

2. in aristocratia.

Verissime Arist. *s. Polit. 1.* statuit, Aristocratiam perfecte optimam omnium minime obnoxiam esse mutationibus, cuius rei cardo in hoc præcipue vertitur, quod virorum bonorum virtuti tanquam firmissimo innitatur fundamento, qui neglecti & à magistratu capescendo exclusi etsi meritisimo jure interdum turbas ciere possint, natura tamen ipsorum virtuosa & generosa à seditione omni plane abhorreat, ut nunquam id facere sustineant. Interim parum obsit considerare, quare illa reip. forma potissimum conservetur. Cum enim deficiente hodie bona educatione & virtus ipsa, qua ab ineunte ætate juvenus imbuenda erat, sæpe deficiat, hinc raro liceat invenire nobilitatem quæ cum genere conjunctam habeat majorum virtutem. Ideoque rarissime dantur

L 3

Ari-

Aristocratia, aut si dantur, per duo hæc data monita velis
remisque ad id properandum, ut conserventur. Justam au-
tem hic optimatum potentiam esse putamus, si revera sint
ἀριστοι i.e. optimi, qui populo præsent. *Virtuti enim Numen æ-*
ternum favet, eamq; permover, nec à melioribus homines regi
dedignantur, sicut pulcherrimis verbis loquitur Contzen. *lib.*
1. Polit. c. 17. §. 4. Quæ virtus id postulat, ut optimates illi non
modo populum sibi subjectum eximie diligant, ejusque
commodis unice prospiciant, sed nec illam injuria afficiant,
aliorumque injuriam propulsent ac ita defendant, ut vere e-
um amare spectentur. Conducit quoq; huic fini, si populo
munia quædam interdum committant, sed ea ita exigua, ut
nihil de sua potestate, prodige alienent, aliquin enim hic
status facile degeneraret in Democratiam. Hoc monere iti-
dem videtur Contz. *cit. loc. §. 5.* licet oligarchice magis quam
aristocrate, *ut multis* inquiens, *è populo pars aliqua magi-*
stratum, officiorum & functionum honoratarum committa-
tur, quæ tamen ejusmodi sint, ut vel sumptu gravent eos, qui
sustinent, quem tamen facile divites præsent, honoris dulcedine
inescari. Si enim populus liber sentiret, se servili prorsus ha-
beri modo, nihilq; participare de muneribus publicis, non
posset se aliter temperare, quin leditioes daret, nec non o-
ptimates à suo honoris gradu deturbaret. Si vero videat
quanto cum incommodo ejusmodi honores subeantur, fa-
cile eundem sumtuosis istis muneribus esse cariturum certi-
sumus. Sifficit igitur populo magistratus improprie dictus,
ne si ad imperium evehatur, isto abuti queat. Deinde contra
unius machinamenta admodum proderit Optimates, ut
semper maneant æquales, & pari inter se concordia juncti.
Uti enim omnes alias rerump. formas dissolvunt plerumq;
discordia & inæqualitas, tum præcipue aristocratiam, cui
omnibus modis ab hisce vitiis cavendum esse monet Arist.
1. Polit. 7. Nec hoc ulteriore explicatione, ceu per se satis ma-
nifestum, indigere censemus.

(3) Est politia in qua cautio (1) ut seruetur libertas (2) æqualitas. 3. in Politia.

Et Politia quoque rarissima est omnium, cum vix hodie detur, ut cives omnes, aut saltem plerique sint boni & virtuosissimi, nisi ad solam respiciamus virtutem militarem. Quod innuit & ipse Philosophus. 4. Polit. 13. *Oportet autem, inquam, rempublicam constare illam ex iis, qui arma tantum habeant.* Et 3. Polit. 5. *in rep. hac (ad Politiam digitem tendens) principatum tenet militaris multitudo ejusque participes sunt, qui arma tenent.* Hujus jam ut & omnis status popularis præcipuum fundamentum & unica ratio status nititur libertate & æqualitate. Et libertatem quidem facile populus obtinebit, si omnes virtute bellica sint instructi, ita ut vi armorum libertatem suam defendere & tueri possint. Videndum autem ante omnia ne in locum libertatis substituatur detestabilis quædam licentia imperantes simul & parentes plerumque reddens insolentes, & ad anarchiam pronos, quando, quod vulgus libertatem vocare amat, omnes in Politia degentes pro arbitrio suo & more sibi placito vivant, nulliusque potestatem agnoscant. Vivere enim suo commodo & libidini convenienter, vitiosum est, *neg. servitus putanda est vivere reip. convenienter sed salus.* Arist. 5. Polit. 9. Vid. etiam D. Thom. lib. 5. Polit. lect. 7. Ideoque vera libertas in hoc demum consistit, ut vivas juxta leges ex usu reip. sancitas, subditus tuo magistratui, atque ea conditione, ut tu quoque sis magistratus particeps, sic enim est omnibus par civitatis jus atque honor. Alias si qui haud decenter licentia potius quam libertate uti præsumant, haud dubium est, quin ea, præsertim si aliquandiu populi ei assueverint, eis quod imminuatur aut decerpatur, magnos sint excitaturi motus. Quippe libertatis assertionem, nemo paulum generosior, nisi

nisi vitæ comparat, nec amittit nisi cum vita. Itaque ab omnibus artibus & vitiis quibus libertas convelli possit, in politia cavendum. Deinde etiam maxima cura habenda æqualitatis: quod indicat Franciscus Guicciardinus Nobilis Florentinus *in sentent. select. ex lib. 2. histor. Ital. excerpt. n. 30.* quando æqualitatem popularis reip. fundamentam maxime necessarium appellat. Non autem æque facile obtinebit populus æqualitatem istam ac libertatem ante laudatam. Ea tamen ita necessaria reip. ut sine ea nec libertas consistere possit. Vt verissime Cosmus Medices Cardinali Salviato dixerit, *in tanta opum inæqualitate morumque corruptione Florentinam reip. non amplius capacem esse libertatis, quæ optari potius quam sperari debeat*, ut ex Joh. Baptista. Imo de vita Cosmi hoc citat Forstin. *ad Tacit. 1. Annal.* Vt autem æquales esse possint, non parum confert, si per vices imperetur, per vices rursus pareatur, ita ut omnes magistratus sint capaces sine ullo opum generisve discrimine. Cum autem aliquot seculis fieri vix possit, ut magistratus ad omnes deferatur, haud aspernandum remedium videtur, ut isthæc resp. facile in tyrannidem aut oligarchiam transeat, curare, ut optimi & æquales cives maxime ad magistratus capessendos admittantur i. e. medii. *In omnibus enim civitatibus teste Arist.*
4. Polit. 11. tres civitatis sunt partes: partim quidem valde divites, valde vero pauperes partim, tertij vero inter hos medij. Cum igitur pergit Philosoph. dict. loc. inter omnes constet mediocri & medium esse optimum, cerse & rerum secundarum, seu fortune bonorum mediocritas omnium erit optima, facile namque ratione obtemperat. Obsignat hanc rationem Arist. eleganti Phocylidis versû :

Esse volo medius; mediis sunt commoda multa.

Cum enim medii illi ejusmodi potentia & viribus non sint præditi, ut vel aliquis eorum tyrannidem invadere, aut plures eorum oligarchiam constituere possint, haud metuen-

dum

2
dum quoque ut libertatem evertant, & ad se omnem potestatem rapiant. Accedit etiam quod propter inopiam & rem domi angustam minus turbulento & seditioso sint animo, aut inæqualitatem ratione vel morem vel opum facile in rempubl. invehant. Præclarum est de hoc Philosophi & πολιτικὸν monitum 4. Polit. 12. Legum scriptorem in rep. semper oportet adsciscere medios. Sive enim leges ferat oligarchicas ad medios collineare oportet, sive democraticas, legibus hos conciliare. Vbi autem mediolorum superavit multitudo, vel ambo extrema, vel alterum tantum: hic fit, ut resp. sit stabilis, nam nihil est metuendum, ne quando adversus hos divites cum pauperibus conspirent. Hæc peregregie Philosophus.

LII.

Tandem sequitur illa quæ solorum dominantium respicit commodum, & conservare intendit status aberrantes. *Hæc obtinet.*

Tres simplices Rerump. formas, quas depravatas vocant vel aberrantes jam aggredimur: nec nobis quis vitio verteret, si Philosophum secuti & de earum conservatione cautiones nonnullas tradere nitamur. Cum prout justæ formæ nec cautela ista iniqua esse possint; prout vero iniquæ artes istas quas etiam cautiones, sed falso nominare volunt, eo melius provideri & arceri conveniat. Hinc putamus non incumbere nobis solum remedia respectu rectarum rerump., sed & artes & cautiones quæ rebusp. corruptis adhiberi, aut solent, aut debent, vel paucissimis persequi. Nec is demum Politicus falso nominetur, qui omnium scelerum & fraudem gnatus peritusque deprehendatur, modo operam suam ita navet, quo ijs mederi, non vero easdem usurpare queat.

XIII.

Harum (1) tyrannis: cum conducit institutum *i. in tyrannide*
M tyran.

eius institutum. tyrannidem conservandi vel pure tyrannicum vel magis & apparenter regium.

Dictum fuit *concl. preced.* in statuum aberrantium formis adhiberi & veras cautiones & artes quasdam stabiliendæ suæ reip. accommodas. Hinc duos dominationem tyrannicam conservandi modos, seu potius instituta sibi invicem opposita annotavit Philosoph. *s. polit. 11.* Quorum nititur alterum asperitate & crudelitate, estque tyrannorum proprium durum, & vere talibus usitatum. Alterum humanitate & clementia quadam nititur, estque mitius, sed captiosum & simulatum. Horum quoque modorum mentionem facit Tullius: *Vnus modus*, inquit, *habet jus violentum & superbum, alter habet jus temperatum.* Et ut Plutarchus in Lycurgo asserit, ajens: *Vnus modus habet intensionem, & quasi exasperationem tyrannicæ dominationis, alter habet relaxationem & quandam moderationem tyranniæ.*

LIV.

Vel pure tyrannicum.

Illius quemadmodum tres sunt Scopi sive scopi i. e. fines singulares, ita etiam pro iis singulis diversa observari solent præcepta.

Fatebatur *supra concl. 44.* idque haud gravate, dari non una in tyrannide consilia abominanda, quæ sub instituto pure tyrannico complexus est Philosoph. *s. polit. 11.* At quod institutum & scopi, quos tyranni sibi propositos habent & omnia tyrannidem violentam illam conservantia præcepta commode revocari possunt. *Eorum finium primus ut subditi efficiantur pusillanimes, & humiliade se ipsis sentiant:* nam qui servili & abjecto animo sunt præditi, nihil alti moluntur, nec imperium dominicum ferre recusant. Ad hoc conferunt præcepta, quæ tyranni instillare solent. (1) *ut vir.*

2
ante & rebus gestis præstantes plane deprimantur, eorumque
auctoritas & dignitas imminuatur, quod fit, si de gradu hono-
ris deturbentur, vel exilio mulctentur, aut etiam deportati-
one, quod tamen semper tutum non esse, & ejectos illos infi-
nita & gravissima damna reip. intentasse historiæ commo-
strant. Coriolanus, quantum Romanæ reip. moliebatur
malum, nisi precibus matris & uxoris ab hoc proposito fuis-
set revocatus? Ideoque consultius esse tradunt Tyranni ge-
nerosos istos viros & ulu & virtute militari præstantes, o-
mnino è medio tollere. Illud moliri suavit Tarquinius Super-
b9, quando *forte eminentia papaverum capita virgula decussit,*
quum per hoc interficiendos esse principes intelligi veller. Florus
lib. 1. c. 7. (2) curandum quam maxime est, ut cives nullis
peregrinationibus susceptis, semper sint præsto tyrannis in urbe,
versenturque in propatulo, ut hoc commodius imperata capefiant.
Hinc duo tyranno commoda. Alterum est ut civibus omnis
intercipiatur occasio in caput conspirandi, dum eos quasi in
oculis gestet, & semper in conspectu habeat, ut moliri haud
facile aliquid queant aut ausint. Alterum in hoc cernitur,
quod ita paulatim subditi servitutis jugo assuescant, nec
graviter ferant, quando hoc ipsum subire coguntur, & ita
servilis semper & parvi erunt animi. (3) pervulgatum est
tyrannidis præceptum, *ut subditorum copias quantum quidem*
in se est imminuat. Divitiæ enim & rerum affluentia ut pluri-
mum sumere facit audaciæ conatus, etiam humillimos &
abjecto animo præditos. Ideoque tyrannus utilissimam sibi
commodabit operam, si cives plane ad incitas redigat, at-
que gravissima tributa impetando præferoces alias populi
animos frangat, aut etiam in perpetuis laboribus, puta
magnificis ædificijs aut similibus exstruendis eos occupa-
tos contineat, quo hisce exhaustis & defatigatis nihil ope-
ris & temporis tyrannis insidiandi subditis sit reliquum.
Hujus generis opera olim injuncta fuisse civibus testatur

ipse Philosoph. *s. polit. 11.* Ægyptias Pyramides, Cypselidarum donaria. *Secundus scopus est efficere ut cives inter se minime fidant.* Nihil enim magis quod vereatur, erit, nulla Tyrannum tollendi certio est ratio, quam concordia & fides subditorum. Hanc suppressere solent per præceptum (1) *ut tyrannus cives inter se reddat maxime ignotos.* Hoc efficiet si omnes auferat societates, conventus & tam publica quam privata convivia, ut nulla intercedat inter cives familiaritas, qua deficiente nec fides erit, utpote quam semper majorem gignit. Prohibent igitur tyranni, ut ne quidem subditi sermones inter se conferre ausint, & à mutuis colloquiis abstineant. Qua de re exemplum habemus tyranni Tryzi apud Ælianum, *lib. 4. c. 22.* cujus crudelitas eo demum processit, ut cum imperatum silentium illudque perpetuum, ipsi propter alios varios subditorum gestus, quibus invicem mentis sensa patefecerunt, & intellexerunt, esset suspectum, lata nova lege etiam eos inhibuerit, imo nec contentus quod nutus & linguas in servitutem afferuisset, etiam oculis libertatem à natura datam eripuit, ita ut miseros subditorum fletus sustulerit. Sed & hic talem habuit finem, qualem plerumq; omnes fortiuntur tyranni. Juvenal. Satyr. x.

*Ad generum Cereris sine cade & vulnere pauci
Descendant reges & sicca morte tyranni.*

(2) *Nulli aperiendi sunt ludi, sed tollenda omnes omnino publicæ institutiones, nec permittendi ulli alias civium otiosi conventus.* Namque hæc talia efficiunt, ut cives inter se familiariter viventes notitia inter se gaudeant, adeoque alter alteri firmus confidat. Præterea cum illa amicitia sit firmissima, quæ in Scholis inter studia literarum contrahitur: ideo tyranni qui suam tyrannidem stabilem volunt, Scholas exstirpare solent. Cujus rei nefarium Juliani Apostatæ exemplum notum est. Qui quanquam alias teste Eutropio *lib. ult. liberali-*

2
*beralibus disciplinis apprime eruditus esset, omnes Christiano-
rum scholas claudi iussit, si fides penes Ammian. Marcell.
lib. 22. scriptorum prudentem alias & dignissimum fide. (3)
Tyranni habere consueverunt exploratores, quos Græci olim ap-
pellabant Otacustas, Latini auricularios, qui omnia quæ vel
publice vel privatim, vel palam vel clandestine à subditis ge-
ri audiunt aut vident, deferant, quo nihil tale moliri possint,
quod ad evertendam tyrannidem faciat. Sic Cicero olim
meretrices subornasse creditur tanquam specularices. ut eo
commodius in nefaria Catilinæ consilia penetrare posset.
Non raro etiam vel ipsimet Principes seu tyranni tales agunt
speculatores, personati & mutato habitu circum curstantes,
ut explorent civium animos, & exquirant, quid in præsentī
administratione desiderent. *Ultimus scopus est ut subditi
viribus destituantur.* Nemo enim facile conabitur, quæ
deficientibus viribus se perficere posse desperet. Huc facit.
(1) *Si inter ordines civitatis serant discordias & similitates.* Ut
enim omnis alias reip. rectæ summum firmamentum in hoc
est positum, ne ordines civitatis inter se dissideant, ita hic
profecto locum habet illud, quod tritum in proverbium abi-
iit: *semper contrarius esto.* Siquidem *ratio status* tantum non
præcipua in hoc est posita, ut tyrannus non amicos solum
cum amicis, sed & ordines cum ordinibus committat, ita
ut plebs sit contra patricios, patricii rursus contra plebem,
imo & ipsi divites, non raro contra ipsos divites, ut quo-
cunque te veritas omnia sint plena discordiarum & simulta-
tum. *Ufus huius præcepti tyranno est maximus, quod ni-
mirum civium animi hac ratione non solum alienentur, nec
facile coalescere queant, sed & quod hoc modo se ipsos con-
sumant, ut viribus destituti, haud temere contra tyrannum
quicquam tentare ausint.* Exempla videre licet apud Forstn.
ad Tacit. lib. 2. Annal. Et hoc monitum tyranni non solum,*

sed & alii reip. status etiam contra externos à quibus iis periculum irruptionis vel invisa iis defensionis imminet adhibere solent, quod recens memoria testari potest. (2) *Ad bella subditos adversus vicinos gerenda instigant aut belli metum jam jam imminentem iis incutiunt.* Ita namque subditis bello implicatis non vacabit ullam occasionem tyranno infidiandi arripere. Deinde & hic fructus ad tyrannum ex ejusmodi belli metum redundat, ut quoniam subditi duce militari, carere nequeant, ipsum ultro & lubentes sibi ipsis præesse patiantur, eique sic fidem suam firmiter devinciant. (3) *Cura esse solet tyrannis, aut nullos habeant amicos, aut si habeant minime tamen iis fidant etiam propinquissimis.* Nam ut regi nihil utilius, quam abigere omnes adulatorem, & veris sincerisque se munire amicis, ita huic nihil ad amittendam tyrannidem perniciosius, quam amicis primas concedere. Hi namque si semper latus claudant tyranni, facilius occasionem nanciscuntur tyrannum è medio tollendi. Accedit etiam quod dum amicis & familiaribus nimium confidunt, illos magis metuant, quam apertos inimicos. Ultimo omnem omnino licentiam, qua alias, certe rectas, res, interitui exponit, approbant. Hinc in tyrannide præceptum divinum quod uxorem marito subesse, & servum domino parere jubet, invertitur atque maritis uxoribus subditis, & servi edicto audientes reddi dominos. Hanc extremam & non ferendam licentiam propriam habet tyrannis cum pessima illa & ultima democratia, nam quæ ad stabiliendam democratiam faciunt, ea quoque quodammodo ad tyrannidem spectare videntur. Hoc institutum est tyrannicum, hæc crudelia ista axiomata, quibus tyranni perfecte tales suam stabilire & stabilitam conservare se velle putant tyrannidem, plerumque tamen cum condigno interitu, ut enim Flaccus canit. *lib. 3. carmin. ad. 2.*

Raro

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

LV.

Institutum magis & apparentur regium est, si <sup>Vel ma-
gis regiu.</sup> Imperium tyrannus aliquanto modoretur; & in omnibus regium erga subditos animum præ se ferat.

Huc faciunt cautiones & sophismata aliquot ipsis utilia quorum (1) est, ut simulet summam curam ararii, vectigalium, & omnium reddituum publicarum. Nam cum pecunia sit quasi anima subditorum, plurimis profecto exemplis doceri possit, quod gravissimæ rerump. conturbationes ex abusu pecuniæ fuerint ortæ. Nec videmus sane quid iniquius sint laturi, quam omissionem illius, quod illi non raro sum defraudantes genium comparserunt, & præsertim si tributa ista à tyrannis, in varias voluptatum illecebras & turpes luxus insumi animadvertant. Proficuum tyranno igitur statuente Arist. 5. *poliz.* 11. ut præstet se publicæ pecuniæ questorem, & dispensatorem, aut certe se eum simulet, etiam si reapse is qui audit non sit, hujus enim præcepti summa in simulatione cum primis vertitur nulla autem re illam commodius teget, quam si de publica pecunia præsentem cuncto populo reddat rationes acceptorum & expensorum. (2) Non debet tyrannus præ se ferre difficilem quandam & morosam vulnus gestuumque severitatem, sed facillimum se impertiri more regum accedentibus, ita tamen ut comitas illa temperata sit cum morum quadam gravitate. Quod si minus fiat, non verebuntur subditi eum ut parentem, sed metuent ut hostem, ex quo metu tum etiam orietur summum erga ipsum odium & contentus, ut alias contra ex clementia & humanitate, amor & benevolentia. Ita tamen probare debet *difficillimam illam*
sosis-

facilitatem gravitatis cum humanitate quemadmodum Cic.
eandem *i. de legib.* vocat, ne facilitas illa medium excedat,
ut reip. causa etiam adhibendam sciat severitatem, ne in
contemptum subditorum incurrat, qui facillime ex nimia
illa facilitate suboriri potest. (2) *Smulei etiam religionem &*
Dei cultum sibi summa cura esse. Idque duplici de causa ipsi
incumbere existimat Philoloph. *d. l.* tum quod ab ejusmodi
religioso Principe sibi minus metuant subditi: fieri enim
haud posse putant, ut ille injuste agat, qui Deum summa re-
ligione prosequatur, tum etiam quod metuant Dei Opti-
mi M. vindictam, si manus ei adferant violentas, qui ipsum
coleret, utpote charissimum Deo sub ipsius patrocinio vive-
re arbitrantur. Caveat autem tyrannus obnixè, ne subditi
fentiant, cum tantummodo simulare religionum. Doli
enim non doli sunt, nisi astu colas (uti Comicus loquitur)
quæ simulatio aliquin si innotesceret subditis, maximum
certe periculum immineret tyranno, dum subditi ipsius tan-
quam Dei contemptoris vitæ insidiarentur (4) *bonos ipsemet*
premijs malos vero per alios panis afficiat. Hisce enim quasi
duobus pedibus innituntur omnes resp., bonorum videli-
cet præmio, malorum pœna. Vnde forte democritus du-
os in hocce mundo collocavit Deos, beneficium & pœnam,
teste naturalis historiæ conditore *lib. 2. cap. 7.* Si alteruter
desit, mundum omnem claudicare, sin vero uterque eum
reptilium more procedere necessum est. Vid. Scipion.
Amir. dict. iv. lib. 11. dis. 2. Supra cum instituta pure tyranni-
ca eum eraremus diximus ipsius dominationem maxime
firmari, si homines virtute præstantes vel exilio, aut etiam
morte mulctentur: hic vero contrarium interdum agendum,
ut nimirum præclaris maerentur honoribus & beneficijs.
Hinc fiet ut magnanimi istiusmodi honoribus gaudentes,
non facile aliquid contra præsentem reip. conditionem sint
moli-

2
molituri. Plurima alia possent huc facientia instituta adduci, nisi actum agere videremur, nam semper tyrannus magis regie imperans insistet viam contrariam ejus, qui omnimodum tyrannicum exercet dominatum. Et putamus ad instar prælibatorum hæc sufficere, & scopum tyranno propositum velex allatis satis superque liquere.

LVI.

(2) Oligarchia est, in qua cautio (1) ut concordia foveatur.

2. In oligarchia cautio 1.

Quam utilis sit unio & concordia in genere & specie omnibus rerumpubl. formis, jam tum satis probatum ivimus, nec certe opus, ut hic rursus tanquam rem evidentem probare nitamur. Probavit etiam id, non modo sufficientibus ex philosopho petitis rationibus, sed & per longam historiarum seriem Clariss. Arniss. *lib. 2. doctr. pol. c. 4.* Quamquam vero evidentissimum sit omnibus rerump. formis, & cum primis statui aristocratico summe conducere, concordiam & optimum inter se benevolentiam, ita hanc cautionem cum aristocratia propriam habet oligarchia. *Oligarchia autem? (inquit philosoph. 5. polit. 6.) consentiens non facile per se ipsa everti potest: argumento est resp. Pharsalicæ; illi namque pauci quia inter se recte utantur multorum sunt domini.* Et vere dictum est à Livio *lib. 34. adversus consentientes nec rex quisquam satis validus nec tyrannus est, discordia & seditio omnia opportunè insidiantibus faciunt.* Fabius apud eundem *lib. 10. cap. 22.* cum collegam P. Decium posceret, *in senectuti suæ ad miniculum fore, ait, censura, duobusque consularibus simul gestis expertum se, nil concordie collegio firmiter ad remp. tuendam esse.* Observandum autem est nos hic potissimum loqui de illis Oligarchiæ speciebus (exclusa vitiosa illa in qua non lege agitur sed regentium placitis, & ad potentium commoda omnia administrantur) in quibus

N
divites

divites illi publicum spectant commodum, & quæ proxime ad aristocratiam vel politiam accedunt, ex quarum numero in patria nostra Germania merito esse censetur Oligarchia Norica, & in Italia Veneta, siquidem hæc ambæ oligarchiæ optimis legibus & laudabilibus institutis, nec non concordia, regentium ita sunt firmatæ, ut nisi his omnibus dissolutis interire haud queant. Hæc enim sunt quæ conservant magnas resp. stabiles & durabiles, hostibusque faciunt inexpugnabiles. Quam primum autem hæc emmorata oligarchiæ vincula dissolvuntur, aut solum insuper, habentur, eandem in pessimam aliam degenerare reip. formam comperatæ est certitudinis.

LVII.

Cautio 2. Cautio (2) oligarchica est, ut in omnibus bonus servetur civium ordo.

Fiet id (1) observante Philosopho *6. polit. 6. Si in imperiis & magistratibus demandandis ratio habeatur census & facultatum.* Hæc enim est præcipua causa conservans temperatam illam, & proxime ad politiam accedentem oligarchiam, quæ nisi probe attendatur oligarchiam moderatam illam & non nimis duram, in severiorem quandam & duriorum tyrannidique finitimam degenerare omnino certum est. Itatamen respectus sensus in oligarchia haberi debet, ut non solummodo maximis ad honores pateat aditus, sed & tenuioribus, præsertim si præfinitum assecuti fuerint census, nec non ad publica negotia dextre subeunda sint commodi, adeoque ad magistratus (ut Piccart. ad d. l. Arist. loquitur) non Crassi perveniant i. e. immodice divites, sed & mediocres (2) cautio in hoc consistit, ut ex illis qui desinitum illum census maximum habent, legantur, qui τὸ ἄριστον & summum reip. tenent principatum, adeoque præ reliquis sint maximi magistratus. Minores tamen magistratus si sint necessarij
iis

2

iis conferendos esse censet Philosoph. d. l. qui censu valent
mediocri, quique suis facultatibus proxime ad mediocrita-
tem accedunt. Et profecto hæc oligarchia diuturna ac
firma erit, siquidem, cum ita tenuioris fortunæ homines se
quoque ad curam reipublicæ vocati sentiant, spemque ha-
beant firmissimam, quo etiam aliquando tantum conse-
quantur censum, ut magistratus successu temporis fiant ca-
paces. Temperatæ illi oligarchiæ conservandæ conducit
(3) *ut interdum census augeatur ne nimium multi ad dignitates
magistratus capescendas admittantur ac ita paulatim ex oligar-
chia fiat πολυαρχία.* Ideoque curandum est, ut qui reip.
gubernacula gerunt, sint ære potentiores, ut imperium in-
teriorum retundere valeant (4) auro opus est, *ut adsiscantur
socii reip. optima nota homines.* Nec enim omnes promi-
scue ex plebis fece aut civitatis colluvie collecti ad imperi-
um sunt apti, hoc est opifices, operarii, & hujus farinae si-
miles homines, sed ii demum honore magistratus digni sunt,
qui honesto & magis eminenti loco sunt nati & educati.
Non possumus igitur non meritis extollere laudibus institu-
tum, quod in quibusdam civitatibus, oligarchicis observari
experientia contestatur, nimirum quod si forte interire in-
cipiant familiæ nobiliores in earum locum surrogentur ex
plebe spectatissimæ aliæ. Sane id si fieret ubique locorum
omnia magis decenter & ordine in imperiis procederent,
meliusque forte civitates starent. Hæc etiam dixisse suffi-
ciat de moderata illa & optima oligarchia. Plures huc faci-
entes cautiones qui desiderat, inveniet apud Philosoph. 4.
Polit. 14. De alia pessima ille & intensa magis, in præsentia
haud quicquam in medium afferemus, ne pessimis istis ty-
rannis forsan salutaria consilia suppeditasse, illorumque
malitiam nostra sententia adprobasse videamur. Quan-
quam *ut conserventur pessima quæq; resp. plurimam cautionem
desiderant* uti id ipsum Philosoph. testatur 6. *polit. 6.* quem
plura

plura scire gestiens consulere poterit *laud. cap. 6. & seq 7.*
LIIIX.

8. In de-
mocratia
cautio u-
na & prae-
cipua.

(5) Est democratia in qua cautio praecipua,
ne unus nec plures nec etiam omnes ex infima
plebe imperium nanciscantur.

Cautiones Democraticas recenset Philosophus no-
ster *6. Polit. 2, 3, 4.* & praecipue *5. cap.* ex quibus nos jam ad fi-
nem properantes potiores excerptimus. Nihil autem hic
afferemus de ultima illa democratiae specie, in qua omni-
bus promiscue ex infima vulgi faece ad imperia capescen-
da patet aditus, seu tantummodo illam prout institutio ratio
postulat, perstringemus, quae politiam quam maxime reprae-
sentat. In *initio statim libri 6. Polit. cap. 5.* Arist. ponit prae-
claram si ullam aliam reip. regundae cautionem, & nobis
etiam jam tum tanquam rebusp. pene omnibus propriam
concl. 33. memoratam, quod nimirum prudentis Politici
officium in hoc cumprimis versetur, ut talia reip. instituta
condat, talesque in eandem introducat leges scriptas, vel
consuetudines, quae formam reip. firmam, & non ad paucos
tantum dies consistentem faciant, sed maxime diurnam
& stabilem, siquidem ex hoc demum ejus bonitas cernitur.
Celebratur hinc merito prudentia Lycurgi cujus resp. a-
pud Spartanos condita, permulta secula duravit, & contra
vituperantur Hunni, & alii barbari, qui quamvis resp. oc-
cupavere, institutis tamen easdem firmare, adeoque exinde
diurnas reddere nequiverunt. *Ne unus sibi resp. omnem
in statu democratico subjiciat, adeoque monarchiam in va-
dat ratio status expostulat ne ulli magistratus nimis diu
gerendus permittatur.* Id praecipuum ut omnibus reump.
formis utile est si attendatur, inutile contra si negligatur,
ita Aristoteles non solum hoc loco in democratia id ipsum
inculcat, sed & *2. Polit. 3. & 7. capp.* maxime autem *5. Polit. 8.*
ex quo

2
ex quo nos illud quoque nostrum fecimus *concl. 15.* præcipua autem hujus provisionis vis in eo est sita, ut remp. tenentibus omnis præcidatur occasio potentia sua adversus remp. abutendi, & statum commutandi animo invadendi. Recte enim hic monet Livius *lib. 4. libertatis magna custodia est, si imperia magna non sinas esse diuturna, & temporis imponatur modus quibus non potest juris.* Huic instituto (2) pene geminum est, quando monet Philosophus *ita servandam esse in rep. aequalitatem, ut si fieri possit, ad singulos deveniant magistratus, nec quicquam bis aut sæpius eidem præficiatur magistratui excepto bellico, qui sæpius ad eosdem redire & potest & debet.* Alii enim magistratus majores, (de minoribus enim hic non loquimur) si bis aut sæpius uni demandentur: esse metuendum, ne totam reip. summam unus ille ad se trahat & vel exinde magnos spiritus sumat, quod videat se reip. esse summe necessarium, & nulli rectius demandari, quam sibi imperium posse. *Contra plurimum imperium in democatia cautio (1) est, ne ulli magistratus ex censu deferantur, aut certe id fiat ex perexiguo.* Hoc enim Oligarchiæ est institutum, & pene fundamentum, ut in magistratibus constituendis ratio habeatur census & divitiarum, uti *concl. præced.* ostendimus. Non idem vero id in democratiis, uti enim illic divites & nobiles, ita hic pauperes & plebii reip. gubernaculis præfunt. Hujus popularis cautionis maxima utilitas iterata legitur apud Philosoph. *4. Polit. 8. (2)* institutum populare contra Oligarchias est *præesse omnes quidem singulis, singulos vero vicissim omnibus,* Aristot. verba sunt *6. Pol. 2.* quod explicant commentatores, ut omnibus civibus per vicissitudines & temporum intervalla & jus imperandi & parendi concedatur, ita ut totius civitatis summa sit penes populum univèrse sumptum, singulæ autem magistratus dignitates unicuique ex populo vicissim conferantur (3) præceptum huc faciens est *ut plebejorum civium numerus*

identidem augeatur, quo populus potentia superet nobiles & divites, adeoque ijs resistere possit, ne aliquid mali isti ordines duo adversus plebem moliri, aut vel omnino eam opprimere possint. In quantum autem & quomodo auge-ri debeat civium multitudo optime monent commentatores, quos, si lubet, consule, qui etiam hoc institutum ad pessimam illam referunt democratiam, quod observari hic meretur. Adversus infimam plebem cautio (1) quidem, ut omnes obscuro loco nati, item pauperes & sordida officia tractantes non admittantur ad magistratus, hoc enim est pessimæ democratix indicium, in qua ultimæ plebis feci licet quid libet, monere tamen videtur Arist. 6. Polit. 2. in fin. ne omnino ejusmodi ignobiles & tenues à publicis officijs excludantur: (2) est cautio apud Arist. 6. Polit. 5. ut populi nimia potestas sigliscere incipiat, vetundatur, ne per insolentiam & effrenem petulantiam occasionem turbas ciendi arripiat, & reprehendit ibidem Aristoteles illorum errores, qui existimant optime tunc cum rep. populari agi, si ejus arbitrio omnia administrantur, nec non graviter increpat demagogos, homines illos male disertos, quorum locum hodie quidam ex ordine sacro obveniunt, dicente Clapmar. de Arcan. rerump. lib. 3. cap. 22, qui ut populo placeant, id omniconamine agunt, ut judicia sint frequentia. & populus quemvis temere accuset, bona enim condemnatorum publicantur, & poena pecuniaria inter populum distribuitur, cum tamen hoc ipsum potius in sacros usus convertendum erat, ne populus nimium facilis spe lucri in condemnandis reis reddatur. Et tantum etiam de democratix cautionibus.

LIX.

*Tandem
etiam in
statu
mixto.*

Coronidis loco videndum, quas cautiones ratio status in statu mixto notari postulet.

Præsupponimus hic talem reip. formam in rerum universi-

2
verfitate dari: nam non latet nos inveniri nonnullos, qui hoc pernegare aufint, quos inter familiam ducit Iohannes Bodinus. Verum horum sententia majestatis jura dividi posse negantium, ut absurda & erronea, jam dudum est explōsa. Imperium forte nostrum Romano Germanicum quod Moguntinus Elector aristocraticum esse olim pronuntiavit in electione Caroli V. exemplum præbebit (salvo tamen petitorum judicio) status mixti, Cernimus enim Imperatorem non absolutum & purum repræsentare Monarchiam, sed ex aristocratia & regno hodie commixtum esse statum. Siquidem majestatis jura ita divisa esse possunt, ut *quædam rex, quædam senatus habeat, aut quædam optimates quædam plebs. Interdum communicantur ut nec rex sine senatu, nec senatus sine rege ea obtineat, ut ve plebs simul fruatur & nobiliores,* ceu liquet ex Besoldo lib. 1. Polit. c. 8. §. 2. Sed hæc perfequi latius non est instituti. Expedienda videtur quæstio qua queritur an in rebusp. mixtis etiam detur *ratio status mixta,* & quæ cautiones in ijs observari debeant. Est autem planum quoniam *ratio status* nihil aliud est, quam commodum reipubl. non posse non & illud aliud esse atq; aliud prout respublica diversa est. Quoniã vero mixtio sepe in sese habet ut tamen unũ prævaleat, qui status prævalet, ab ipsius Prævalentia etiam mutuandæ erunt cautiones, quæ pro singulis rerump. formis sunt adductæ, sin vero ex æquo fere status est mixtus, cautio prima est, & præcipua, *ut ordines & imperium tenentes sint concordēs, adeoque firmam & mutuam inter se alant amicitiam,* qua de cum sæpius in hac nostra dissertatione egerimus, de ea hic quicquam addere esset forte operam ludere. Denique in hoc statu provisio est, uti in omnibus simplicibus alijs, *ut vitent imperantes omnia ea, quæ huic status mixto perniciem accelerare possunt,* quæ qualia sint vid. apud Besold. *dissert. de Arcan. rerump. lib. 9.* Nos, quibus in præsentī prolixioribus esse non libet, finem huic nostræ dissertationi.

197
fertationi imponimus, quanquam nec diffiremur longe
plura, aut etiam ornatioꝛa de hac noſtra materia, ut nobi-
liſſima ita latiffima, in medium adferri potuiſſe. Sufficiant
ſcilicet hæc potioꝛa ductu magni illius prudentiæ civilis ma-
giſtri exercitij Academiꝛi gratia ad diſputandum propoſuiſ-
ſe: reliqua & aliis & alii tempori & loco perfequenda relin-
quimus. Interim nec nobis tamen vel hac ætate, in qua con-
ſtituti ſumus, quiſquam benevolus lectoꝛ vitio vertet, ſi vi-
res noſtras ingenij in nobili hoc ſtudio periclitatum ive-
rimus; licet non ignoremus monente Antonio Peretziõ

*diſcurſus de ſtatu eſſe cibum ſtomachõrum
magnõrum.*

F I N I S.








(X2618037)

V3 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Dupl.
1657, 2^c
4

TATIO
STATVS

A M
E CLEMENTIA
SIDE
ET CLARISSIMO
CONRINGIO

in incluta hac Julia Pro-
o, illustrissimi Ostfrisiæ
rio intimo & Ar-
&c.

ore meo multis nomi-
n observando
propono

US DOß
ensberg.
XVI, Mart.
IVLEI AUDITORIO

STADI,
MULLERI, Acad. Typ.
O LII.